



# Disputatio juridica inauguralis de tortura

<https://hdl.handle.net/1874/343802>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE

# T O R T U R I A,

QUAM  
ANNUENTE SUMMO NUMINE

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

## M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academici consensu, Nobilissimeque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

### PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in **UTROQUE JURE** Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subiectis*

JACOBUS DE VRIES, Philosoph. Candidat.

*Ad diem 5. Septembris, horâ locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academix  
Typographi, clō lōc xcii.



*Gravissimo ac Consultissimo*  
V I R O,

D. HENRICO GUIELMO

<sup>A</sup>  
RUYVEN, J. U. D.

Illustribus & præpotenti-  
bus, ordinum tetrarchiæ  
velaviensis deputatis, nec  
non amplissimo nobilissimo-  
que senatui Arnhemienfi à  
secretis, cognato suo, mul-  
tis nominibus debito obser-  
vantia studio in perpetuum  
colendo,

*Hanc suam Dissertationem Ju-  
ridicam Inauguralem*  
facram facit

JACOBUS DE VRIES, AUCT.  
Philosoph. Candidat.





PROLOQUIUM.

**R**ationem æquitatemque, genuinam legum omnium salutandam esse animam, neminem, quem modo legum nature cognitio haud penitus fugit, inficias iterum mihi compertum habeo. Atque hinc sanè juris Sa-

cerdotum nomine superbiisse, seque veram non simulatam affectare Philosophiam, quondam gloriosos fuisse *Jctos* l. 1. §. 1. ff. de just. & jur. haud est quod admiremur. Ratione quippe pariter ac æquitate summa fulgere leges, in Romani Juris Sacrario passim obvias, qui neget, aut supinam illo in jure imperitiam, aut calumniosum suum prodit animum. Verumenimvero, quemadmodum (ut venuste ipse imperator l. 2. §. 13. de vet. jur. enucl.) in nullo aberrare seu in omnibus irreprehensibilem seu



inemendabilem esse divinæ utique solius non au-  
tem mortalis est constantiæ, ita & nusquam in fe-  
rendis legibus aberrasse atque irreprehensibiles esse  
Romanos nemo mortalium asserat, nisi sese pariter  
aut in eorum jure hospitem, aut adulatorem nimium  
manifestaverit. Legum ejusmodi, quibus æquitas aut  
sana ratio exulat, seriem hic contexere, neutiquam  
in animum induxi: ast tamen ab æquitatis tramite quan-  
doque deviasse Romanos, quin vel unicum illorum fune-  
stum (quod tanquam hujus meæ dissertationis inaugu-  
ralis argumentum non quidem pro materiæ dignitate,  
sed ingenii simul ac pagine angustia enucleandum adop-  
tavi) de Tortura placitum instar omnium satis super-  
que fidem faciat, nullus equidem dubito. Clare au-  
tem ut hujus meæ assertionis elucescat veritas, in duas  
partes hancce qualemcunque exercitationem distribuere  
visum est: priorique membro Torturam ad juris civi-  
lis regulas explorare, posteriori vero illam rationis ac  
æquitatis lance trutinare, animus est.



DISPUTATIONIS JURIDICÆ  
INAUGURALIS,  
PARS PRIOR,  
DE  
TORTURA.

THESIS I.



Er Torturam, quæ *Quæstionis* nomine apud  
Ictos insigniri assolet, *quæcumque veritatis du-*  
*bia per adhibitos corporis cruciatus inquisitionem in-*  
nuo. Violentam ejusmodi abstrusorum facino-  
rum investigationem quamvis jure civili licitam  
atque comprobata esse & ff. *et Cod. tit. de*  
*quæst.* satis alte clament, haud attamen facile &  
quibusvis in rebus dubiis ad illam judicem pro-  
volare ferunt, passim hunc examinandi modum  
satis arcte coarctantes leges. Quandoquidem enim quæstionem esse  
rem fragilem, periculosam & quæ veritatem fallat nec ipsos quondam  
latuisse constat Romanos l. i. §. 23. ff. *de quæst.* hinc demum ille judex  
rerum suarum apprime satagere, pariterque civilium legum juxta nor-  
mam ac præscriptum hanc rem dirigere, olim dicebatur, qui sequen-  
tia hæc in imponenda quæstione diligentius suo præagitabat animo:  
primo, quosnam qualisque conditionis homines Torturæ subjeci de-  
ceat? Secundo quibus in delictis ad illam eundem sit? Tertio ad quæ  
signa vel indicia quæstionem decernere liceat? quarto deniquè quous-  
que aut quomodo in infligendis tormentis procedere integrum sit? Hæc  
itaque omnia, siquidem illa judici anxie admodum inculcantes cerno  
leges R. aliquanto diligentius ad examinis in eundem vocare operæ  
pretium erit.

II. Primum, quod judicis menti hic infligendum dixi, erat perso-  
narum earumque studiosa consideratio. Prima autem atque præcipua  
hujus severioris examinis objecta fuisse servos plus satis toti ferè ff. *et*  
*Cod. tit. de quæst.* fidem faciunt. Ast tamen haud sola mancipia semper



Torturæ mansisse obnoxia, credendum est. Liberos quippe, dummodo humiliores ac inferioris conditionis homines, postea Torturæ tradi solitos fuisse, satis colligere datur ex mox indicandis personis, quæ propter earum dignitatem tormentis affici nequeunt. Inter quos tamen liberos illud discriminis hic notari velim, ut, qui vihoris status, simulque infamia mulctati, non minus tanquam testes, quam ac si ipsi forent Rei tormentorum vi sese subducere queant. *l. 21. §. 2. ff. de test. Auth. apud Eloquentis. C. de fid. instr.* quod attamen secus obtinet in illæfæ famæ, quantumvis enuoris fortunæ, hominibus: qui non nisi ipsi Rei quæstionem experiri tenentur, si modo testimonium dicturi non vacillent. *l. 15. princ. l. 18. §. 3. D. de quest.* Vacillat autem is (inquit *Ant. Mattheus de Crim. ad tit. de quest. cap. 2.*) qui modo ait, modo negat, *cujus vox, vultus, color, pedes suspectum falsi testimonii faciunt.* Cæterum & parili modo tam masculos, quam fæminas ad Torturam rapi posse credendum est. *l. 3. C. de quest.*

III. Cum servos itaque tum liberos Tormentis agitari posse asserimus: quod tamen cum falis mica accipiendum, atque tam ratione priorum quam posteriorum sub distinctione intelligendum est. Servos quippe, quamvis quidem levibus admodum de causis torturæ subijci solitos, semper & contra quoscunque torqueri neutiquam jus R. permittit, anxie passim inculcans quæstionem de servis contra dominos haberi non oportere *l. 1. C. de quest.* insolitumque esse & grave exemplo audiri servos etiam adversus tutores vel matrem dominorum suorum *l. 2. C. de quest.* quod posterius ramen fallit si tutelæ agatur *d. l. 2. C. de quest.* prius vero exceptionem pati liquet in criminibus, læsæ majestatis, adulterii, fraudati sensus *d. l. 1. C. de quest.* item fraudatæ annonæ, adulteratæ monetæ; *l. 23. de jud.* ut & si controversia moveatur super statu ingenuitatis *l. 9. Cod. de quest.* vel proponatur falsum testamentum *l. 10. §. 13. C. h. t.* quibus omnibus in casibus contra dominos torqueri possunt. Porro quod hic de mancipio dico, non tantum de proprio intelligendum, sed & idem illud juris obtinere in servo bona fide serviente, sive alienus ille sit, sive liber homo, bona fide serviens, indicat *l. 1. §. 8. ff. de quest.* Nec aliud quoque dicendum de mancipio communi contra dominum communem arguit *l. 13. C. de quest.* Secus vero obtinet in servo municipum, qui legitime in singulorum caput torquetur, utpote non tam omnium civium, quam Reipubl. servus *l. 1. §. 9. ff. de quest.* Ut & non minus libera servos mariti in uxoris caput torquendi judici competuit potestas *l. 1. §. 11. D. de quest.* Quapropter



propter quoque ab altera parte servos uxoris in mariti caput interrogari quondam potuisse, plus quam probabile evadit. *arg. l. 1. §. 15. de Sc. Sylan.*

IV. Liberi homines, quos a quaestione excusatos videre est, non unius aut ejusdem conditionis sunt. Alios namque dignitas, alios aetas, alios denique tum animi tum corporis dispositio minus habilis a Tortura immunes praestat. Dignitatis ergo excipiuntur a tormentis homines illustres, senatores, viri clarissimi & eminentissimi, eorumque (modo interjecta persona infamia haud sit polluta) liberi ad tertium usque gradum *l. 11. C. de quest.* Decuriones *d. l. 11. infra.* etiam post depositum decurionatus munus *l. penult. C. de quest.* ut & milites, quique non ignominiose ab exercitu missi sunt, cum filius huc referendi *l. 8. Cod. de quest.* Eidem quoque huic catalogo ex paritate rationis inscribendos nonnulli volunt doctores & advocatos: *militant enim causarum patroni & isdem privilegii fruuntur, quibus milites. Perez. in C. ad h. t. & sane summa cum ratione dictos hosce cunctos a Tortura eximere jus civile ex eo satis inclarat, quod (quem admodum mox vidimus) hic reos examinandi modus a mancipis primitus ortum duxerit atque hinc servile quidpiam praesferat. Qua propter & viris, quos praeter ceteris ad dignitatis honorisve fastigium evexerat fortuna, non immerito usque adeo indecorum censuere Torturam Romani, ut *judici capitale sit si in contumeliam ordinis & exitium intenteret quaestio. l. 16. C. de quest.* nisi forsitam flagitii scelerisve immanitas illos hocce privilegio reddiderit indignos. Atque hanc ob causam in laesae majestatis, aliisque huic assimilibus criminibus a quaestione suam dignitatem excipere videas neminem. *d. l. 16. & l. 4. C. ad leg. Jul. Majest.**

V. Aetas, perquam quis a tormentis reservatur immunis, tam tenera quam decrepita est. Tenellam propter aetatem juste excusantive Impuberes. *l. 10. l. 15. §. 1. ff. de quest. l. 1. §. 33. de Sc. Sylan.* Impuberes autem hic non tantum illos intelligendos, qui doli incapaces sunt, verum & omnes, quicumque annum quartum decimum nondum egressi sunt, *D. ll.* pariter ac sana ratio exigunt. Errant itaque toto caelo, qui cum *Magno Cujacio* illos tantum impuberes, qui doli incapaces sunt, & ideo quia doli incapaces sunt, torqueri haud posse contendunt: docet utique disertis verbis *D. l. 1. §. 33. de Sc. Sylan.* *Impuberes non torqueri, terreri vero tantum & habena vel ferula cadi non esse insolitum: quae priora verba (scil. quod non torqueantur*

*Impu-*



*Impuberes*) si quis de iis Impuberibus intelligenda dixerit, quos ætas hæctenus servavit doli expertes, simul quoque & posteriora verba (puta *terreri tantum & habena vel ferula cadi possunt*) de iisdem Impuberibus accipere jubet *d. l. ratio*: atque ita illos, in quos nec fraus nec dolus cadat, juxta illud principium, *terreri & habena vel ferula cædi posse* statuendum foret: absurde satis meo quidem iudicio: si quidem quos doli incapaces, quapropter & transgressionis nescios esse liquet, ab omni poenæ specie illos servare intactos, suadet æquitas ac justitia. Idem quoque quod *ll. & ipsissima ratio* hac in parte dicit: non enim sola atque unica causa, ob quam Impuberes a tormentis eximendi, eorum impubertas, qua talis est, aut vero & debile ad modum ac tenellum corpus, quod junioris ejusmodi ætatis circumferre solent homines, haud levem dedisse huic impunitati causam, Torturæ sævities & atrocitas indicat. Unde verissime, hanc rem intuitus, *Paul. Sacchias in quest. med. legal. l. 6. cap. 2. de torment.* dixit: *Impuberibus adhuc corpus non est tam firmiter suis articulis compactum, neque ita nervorum duritie munitum, ut ex hoc tormento non insigne incommodum ac certum salutis damnum sint reportaturi.* Ex quibus de tenera ætate prælibatis, non injuste quoque provecctos annos homines a tormentorum asperitate liberare *arg. l. 3. §. 7. ff. de Sc. Salan.* satis apparet: militat quippe pro senibus, utpote bis pueris, eadem ratio, quæ pro impuberibus certat. Debilitatem sane effætasque vires senectutem concomitari indubitatum est; unde & senes sub tortura perfacile defecturos, atque ita non levia incommoda ac pericula in illos devolutum iri consequitur, quod judici quantum fieri potest, precavendum esse sequentia palam facient.

VI. Tertium quod questionis immunitatem operari dixi, erat tum animi, tum corporis dispositio minus habilis. Atque hoc ex capite excusantur furiosi *l. 39. §. 11. ff. ad Sc. Syllan.* neque inter est utrum ante, an vero post furorem deliquerint. *l. 14. ff. de off. pref.* Huc quoque DD. referunt mutos & surdos simul, tum quod plerumque facti illi sint, tum quod nulla confessio iis exprimi queat. *Eckholt. ad ff. tit. de quest.* Summa quoque ex ratione hic propter corporis indispotionem mulier prægnans, quamdiu uterum gerit, excusatur, *l. 3. ff. de pæn.* facili enim negotio aut foetui aut ipsi mulieri gravidæ per Torturam exitiale quid importetur. Ex quo fundamento posito multifarios morbos, qui a tormentis mortales reddunt liberos, non uni referunt auctores. De hisce vero vid. *Paul. Sacchiam in quest. med.*



*med. leg. l. 6. tit. de torm.* qui cæteros inter haud mediocrem in singulis morbis ac indispositionibus ad singula tormentorum genera examinandis adhibuit diligentiam.

VII. Cæterum haud inutiliter hic quærat quis, an saltem, qui torqueri nequeunt, tales sive simplicibus minis, sive ipsos ad locum, ubi Tortura peragi solet, adducendo, seu defacto eculeo imponendo terri non integrum sit? Sub distinctione hic DD. respondere animadverto: ita quidem ut quosdam terri omnino permiffum, quosdam vero non magis terri, quam torqueri, fas sit. Tormentorum terrore percellere non licet primò illos, quos a quæstione liberat dignitas. *Aut. Math. de Crim. ad tit. de quæst.* Secundo neque illos facile perterrendos, quos corporis indispositio Torturæ imponere dissuadet, Jcti asserunt: Hincque prægnantem mulierem, quemadmodum neque torquendam, ita neque quæstionis terrore percutiendam docet idem *Math. cap. 2. de quæst.* Terri itaque qui posse creduntur, sunt impuberes ac senes *arg. l. 1. §. 33. D. d. Sc. Silan. l. 15. §. 41. ff. de injur* quem attamen terrorem non nisi levem admodum atque a quæstionis praxi remotissimum esse oportere & *ll. jamjam citatæ & ratio postulat.* „ Terror enim incussus puero aut decrepito periculo non vacat, „ facile enim pueri perterriti & maxime tenerioris ætatis in Epilep- „ siam aliaque mala derepente incidunt, senes autem facili negotio „ in Apoplexiam aut in animi defectum, cum timor & terror sua natura animi defectum excitare sunt apti. Sic hanc rem intuens medice fatus *Paul. Sach. quæst. med. leg. l. 6. tit. 2. de med. err.*

VIII. Hæc de personis dicta sufficiant: postulat præfixa mihi disputationis ratio, ut quænam causæ, seu cujus generis delicta Torturæ locum faciunt, examinem. Non enim cujuscunque criminis suspectum cruentam hanc conditionem manere credendum est. Causæ, quæ ad Torturam viam sternunt, pro ratione personarum varia, etiam variant. Servis enim in causis civilibus non magis quam criminalibus parci tralatitium est *l. 9. ff. d. quæst.* Liberos vero homines non nisi in criminalibus, & quidem delictis atrocioribus tantum, torqueri solitos, liquet ex *l. 8. §. 9. ult. ff. de quæst.* Atrociora autem illa quænam in specie sint delicta, definitu haud ita facile est. In genere dicimus non tantum hic intelligenda esse talia crimina, quæ propria & suapte natura gravia sunt, sed & omnia illa, quæ (licet per se spectata non adeo enormia dici valerent) ratione circumstantiarum, quibus investiuntur, exaggerantur. hac de re vid. *Math. de Crim.*



*Crim in proleg. cap. 4.* Frustra itaque esse putamus illos, qui solum læsæ majestatis crimen aliudve quodpiam ab illo atrocitate sua haud multum abhorrens, judici torquendi licentiam facere contendunt. Quoniam enim viros clarissimos & eminentissimos, quos cæteroquin anxie ab hoc servili examine leges eximunt, illo similique in crimine quæstionis immunitate non magis donatos esse, quam homines abjectos ac viles jam ante vidimus, nonne hinc pariter illos, qui inferioris magis conditionis sunt, in delictis, in quibus minus reatus involvitur, quam in læsæ majestatis crimine, torqueri posse consequitur? Sed propius, quantum fieri potest quam late vel quam stricte hic crimina interpretari prudentes judices deceat, lustremus. Comuni ferme DD. consensu tunc demum quæstionem decerni posse statuitur, cum poenæ, post convictionem reo pro patrato facinore infligendæ, atrocitas cruciatuum, sub tormentis perferendorum, immanitatem superet. Recte hæcenus meo judicio: præposterum enim ac ab omni æquitatis specie alienum foret majori severitate in eum grassari, de quo nondum constat culpa num vacet, num vero insimulati criminis reus sit, quam in delicti commissi vere convictum. (An vero quidem unquam in Tortura hujus salutaris moniti ratio habeatur posteriori disputationis parte examinandi sese offeret occasio). Atque hoc ex principio terfiores JCTi nunquam aliquem quæstioni dandum docent, nisi reus convictus poenam experturus sit relegatione majorem: Torturam namque multis paralangis severitate relegationis transcendere poenam vel mitissimus torquendi modus plus satis arguit. Hoc itaque certi in genere hic statui potest, ut tunc tantum quæstionis alicæ res committatur, cum delictum poena capitali expiandum sit. *l. 8. ff. de quæst.* Sed & illud præterea ratione criminum anxie judici attendendum est; ut, etiamsi delictum quod cuiquam objicitur, sit satis ad Torturam imponendam grave, nunquam tamen ad inhumanum hunc examinandi modum descendat, nisi de corpore delicti in antecessum liquido constet. *l. 1. §. 24. ff. d. Sc. Sylau.* ne forsitan aliquis, qui, vitæ suæ ejusque calamitatum pertæsus, contra semet ipsum mentiatur, per judicis imprudentiam Torturæ pariter ac morti tradatur. Cujus hominis sibi ipsi hocce modo injuriæ exemplum supeditat *Valer. Max. l. 8. Cap. 4.*

IX. Tertio etiam in imponenda quæstione judici rationem habendam præmonui signorum ac reum prementium indiciorum, quæ tam legitima qualitate, quam jussu numero Torturam, ut rite decernatur



tur, præcedere fas est. Non enim a tormentis initium esse sumendum ipse JCtus *Ulpianus* inculcat *l. 1. ff. de quest.* Indicia autem quæ ac qualia hic esse deceat ante quam in specie videamus, in limine hic præmonendum censeo probationes plenas, quibus reus convincitur potius, quam suspectus redditur ex Indiciorum catalogo esse expungendos: verosimilia enim, non apodictice concludentia argumenta Torturam præcedere debent. Nec itaque subscribendum esse autumo illorum sententiæ, qui reum, quamvis testibus vel argumentis luce meridiana clarioribus convictum, Torturæ nihilominus dandum volunt, ut, per illam ex proprio ore sceleris confessione extorta, appellationis beneficio iste privetur. Absurditatem hujus opinionis non uno modo demonstrare est. Constat etenim ex ante dictis ulteriusque ex dicendis adhuc apparebit, Torturam esse modum seu remedium veritatis dubiæ hæctenus eruendæ. Proprius itaque ac unicus, ob quem decernitur quæstio, finis rei dubiæ confirmatio est. Jam vero, quoniam, obtento in re aliqua fine, non opus esse, ut amplius de mediis solliciti simus, res ipsa clamet, invicte sequitur, re per argumenta aut testes satis probata, ineptè ulterius quæstionem, tanquam medium in eruenda re jam modo probata adhiberi. Accedit hisce, quod Tortura non dicenda sit ordinariæ probandi medium, aut vero modum veritatis investigandæ subsidiariæ ac extraordinariæ illam potius dixeris, quapropter nec unquam adhiberi consuetam, nisi quod dubium est, plene ac ordinariæ procedendi via probari nequeat. *l. 9. §. 12. C. de quest.* Porro hisce adde, quod, fatentibus ipsis JCtis, Tortura dicenda sit, *res fragilis, periculosa & qua veritatem fallat. l. 1. §. 23. ff. de quest.* Quis itaque mortalium unquam non cernat ad rem periculosam ac minus fidelem non esse properandum quam diu remedium magis securum ac fidum superfit? Quin & illud præterea convictum torquere dissuadet, quod quæstio, quæ in convictum decernitur, poenam magis, quam veritatis indagacionem, sapiat: quod iniquum esse ipse *D. Hadrianus* rescriptit, *quæstionis habenda causa neminem damnandum esse docens l. 12. ff. de quest.*

X. Nec quidpiam reos ante modo convictos torquere commendat, quod dextre per hunc agendi modum scelestis appellandi præcindatur via. Non enim illa tantum judici demandata provincia est, ut in facinerosos sedulo inquireat ac severe animadvertat, sed illud negotii ipsi pariter datum est, ut actiones suas ac judicia & naturæ & civilis legis juxta normam componat. Naturæ legem quod hac in parte spectat,



stat, quid tritum magis naturalique æquitati adeo consentaneum est, quam illud? quod defensio sui licita, nec ulli invidenda sit. Hoc autem naturæ privilegium evertere necesse habent omnes, quotquot eum infinem aliquem torquendum contendunt, ut appellationis privetur beneficio; justus enim ac legitimus sese defendendi modus quin sit appellatio, dubium non est. Jus civile si hac de re consulamus, nec minus in illud hujus sententiæ fautores impingere ipsius, quam ad suam confirmandum adducunt sententiam, legis distinctio invicte determinat. *l. 2. C. quor. appel. non recip.*

XI. Ast ad signa & indicia, quæ ad Torturam viam sternunt properandum est. Vastissimus equidem illorum oceanus sese hic pandit: fluctuantes namque atque in argumentis ad eculei impositionem satis sufficientibus assignandis, usque adeo a se invicem abhorrentes videas Jctorum filios, ut quid hic pro regula figendum, vix imo vix exploratum sit. Missis indiciorum tum definitionibus, tum divisionibus, quas bene multas varii tradunt passim DD. duo saltem generalia indiciorum prærequisita constitui posse mihi videntur. Primum est quod signa, quæcunque ad Torturam inducendam valida dicenda, oporteat esse verosimilia *l. 8. §. 1. C. de quest.* & quidem tam verosimilia, ut nihil aliud, nisi ipsa rei confessio, deesse videatur *l. 1. §. 1. ff. de quest.* Talia vero quænam sint accurate delineare hoc opus! hic labor est! Prudentis itaque judicis arbitrio hæc decernanda committere, quam specialem hic præscribere regulam, longe tutius arbitror. Quapropter non male *Perezius* monet judicem quod „ recte fecerit indicia, argu-  
„ menta, signa & præsumptiones ex personis & locis suspectis desume-  
„ re, item ex tempore & loco ubi delictum commissum, ut si tali hora  
„ & loco in quo mortuus inventus visus sit is, qui accusatur, fugere  
„ stricto gladio. Itemque ex causâ, quantitate, eventu formare po-  
„ terit morum animi sui ad decernendam quæstionem. Magnam autem  
„ æstimandi facultatem præbet ante acta vita, studium, item & con-  
„ versatio sive consuetudo eorum, quibus is, cui adhibendæ sunt quæ-  
„ stiones, quotidie conjungitur.

XII. Alterum quod ratione pariter ac legibus suffragantibus, tanquam necessarium in signis prærequisitum constitui valet, hoc designo: quod illa semper oporteat esse numero plura, neque unum, quantumvis admodum verosimile, grave, vel crimini proximum sit, ad infligenda tormenta sufficiat indicium. Ratio illud ipsum suggerit, siquidem unum argumentum, quod externo apparatu vel maximo præ-



prægnans apparebat, totiens falsitatis arguit ferus rerum eventus: qua propter cum hanc periculofam ac truculentam examinandi viam non calcandam dixi, nisi indicii tam claris ac verosimilibus, ut sola rei confessio super esse videatur *d. l. i. §. 1. ff. de quest.* clarissime satis apparet unum indicium, utpote sæpe fallax ac erroneum, hic non satis ad Torturam ponere sufficientiæ. Leges si consulamus: nec istæ minus ipsum illud, quod assero suadent, unanimi consensu de argumentis & indiciiis, nusquam de indicio & argumento tanquam ad quæstiones satis valido verba facientes. *l. i. §. 1. l. 18. §. 1. l. ult. ff. l. 3. l. 8. C. de quest.* In hanc tamen sententiam non omnes DD. euntes animadverto. Contendunt nempe nonnulli acriter non raro unum indicium, modo grave illud sit atque crimini proximum, ad Torturam satis efficax esse. Plurima talia in specie apud varios JCTos assignata cerno, quorum præcipua in sequentibus tangere potius, quam pertractare, non abs re fore duco.

XIII. Inter cætera, quæ hic occasione enumerantur, indicia, maximæ efficaciam ad quæstionem imponendam, apud multos unus testis creditur: quod tamen gratis ego a DD. asseri nec ulla lege fundatum, autumo. Nec juvat hic illorum distinctio inter illum testem, qui de nudis tantum indiciiis deponit, & illum, qui se reum ipsum crimen actu committentem vidisse testatur: adeo quidem ut priori casu ad minimum duos testes desiderari confiteantur, posteriori vero modo unum testem, qui ipsius delicti *actor* est, ad aliquem eculeo imponendum sufficeret. Quam distinctionem *Ekholt. Perez.* aliisque viris, civili doctrina conspicuis, arridere comperio. Minus tamen recte meo iudicio. Quandoquidem enim vix absque piaculo JCTo liceat expressis legibus addere quidpiam aut detrahere, leges vero cunctas, quotquot huc aurigantur, de numero indiciorum plurali mentionem injicere mox vidimus, ut & nusquam hac occasione ejusmodi testis distinctionem in jure reperire datur, hinc certe illorum DD. placitum, tanquam *l. destitutum*, infirmum, illamque, inter testes distinctionem, utpote ex solo eorum cerebello natam, non admittendam esse satis liquet. Non parum quoque, quæ dicere anteverimus, nostram corroborant sententiam. Audivimus utique argumenta, quæ, antequam ad tormenta provolandum sit, tam clara esse oportere, ut quasi sola rei confessio deesse videatur. *d. l. i. §. 1. ff. de quest.* Quis autem dixerit unquam per unum testem ita convinci reum, ut sola ipsius requiratur confessio? Non frustra ipse Deus T. O. Max. dixisse creden-



dus, non in unius ore sed ad minimum duorum vel trium veritatem omnem consistere. *Deut. 19. vers. 15. Matth. 18. vers. 16.* Quo etiam ex principio optime ipse Imperator unum testem nequidem audiendum esse, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat *l. 9. §. 1. C. de test.* Quin imo rem omnem hanc clarissime determinat *l. 20. ff. de quæst.* ubi ipse **J**Ctus *Paulus* quæstionem ad unius hominis testimonium & quidem, quod magis est, de ancilla habitam, illicitam pronunciat, extemplo quoque suæ pronunciationis causam hanc assignans: scil. *unius testimonio non esse credendum d. l. 20. ff. de quæst.*

XIV. Aliud quoque, quod solum tanquam sufficiens ad Torturam à nonnullis D. D. circumfertur indicium, confessio, extra iudicium facta, est. Ast tamen tutiori longe via incedere iudices, docent illi doctores qui ex reorum extra iudicium confessione tum demum ad tormenta iri posse tradunt, cum & in antecessum (principia juxta modo ante posita) ipsum delictum commissum esse constet, ac præterea persona rei & accurata circumstantiarum expositio verosimilem narrationem faciunt; quapropter, cum quis aut animo minus serio, aut ostentationis magis, quam semet ipsum accusandi & onerandi causa quædam effutierit, talem confitentem ad eculeum non esse rapiendum, optime, procul dubio, docent *Matth. ad tit. d. quæst. cap. 3. n. 10. & 7. Wissenb. ad tit. D. Sc. Turpil. n. 8.* Ad hæc enim similesve confessiones si ad quæstionem provolandum; næ innumeræ hominum infantium multitudini tormentorum asperitate pereundum foret! Ita quippe cum haud unorum mortalium natura comparatum esse quotidianus edocet rerum eventus, ut illi, qui imbelles rebusque gerendis inepti maxime sunt, ingentia sese perpetrasse facinora passim (& quidem tunc temporis præcipue cum largiori mero ipsos repletos videas) gloriantur, haud alium sane in finem, quam ut, dum actualia suæ imaginariæ fortitudinis experimenta dare, aut corpus imbecille aut meticulosus eorum haud ferat animus, saltem per inanem ejusmodi jactantiam sese strenuissimos esse heroës aliis summa ope persuadere nitantur. Quæ profecto similesque ostentationes tanquam argumentum ad Torturam decernendam satis validum, accipere haud quaquam suadet nimia, proh dolor! ubique terrarum *Traſonum* obviorem copia. Quod autem si quis in ipso iudicio facinus confessus sit, cum illo ita procedendum suggerit jus **R.** ut, qui libere ac animo deliberato illud fecerit, relatis exacte loci, temporis, personæ & siquæ aliæ sunt, circumstantiis, quas ita sese omnes habere constat, ille tanquam fa-



tis criminis convictus ad ipsam pœnam, non vero ad Torturam damnandus sit. *l. 1. §. 6. ff. d. confes. l. 5. ff. d. inst. reor.* Sin vero contingat ut reum aut ex tormentorum metu, aut alia quacunque de causa contra se ipsum mentiri judici vel levis suboriatur suspicio, haud esse illum evestigio condemnandum, prudenter monet. *Ulpianus l. 1. §. ult. ff. de quest.*

XV. Porro & hac occasione excutere solent auctores illud: num res furtiva, inventa penes eum, qui auctorem suum nominare nequit, non sit dicendum efficax satis ad quæstiones indicium. Quod per negandum ego censeo. Quam facili namque negotio contingat, ut vel honestissimi, virique morum probitate ad modum conspicui in foro vel alioquocunque in loco quidpiam a venditore ignoto emant. Non semper & ubique aut in pericrutanda venditoris persona, aut in rei emendæ conditione accuratius examinanda, curiosum esse licet. Quapropter itaque, cum perfacile rem furtivam ad innocentissimos quosvis pervenire posse constat, simul quoque ad ejusmodi rerum inventionem homines tormentis afficere periculosissimum esse consequitur. Idem illud negantem video *Amb. Math. de crim. ad tit. de quest. cap. 3. n. 11.* hac tamen sub adhibita distinctione scilicet. *nisi rubor quoque rei, aut pallor, titubatio aut simile quidpiam accedant.* Quod tamen an ita intrepide admitti possit, merito quid dubitet. Sape numero quippe homines, quorum postea liquido apparuit innocentia, ad crimen ipsis objectum mox rubore, mox iterum pallore perfusos totosque contremuisse, contra vero nequissimos sceleribusque confirmatos præfricta fronte & absque ullo pathematis signo cuncta pernegasse non semel palam fecit experientia. Eiusdem quoque farinae esse puto & aliud dicto huic signo non absimile. Inquiunt scilicet nonnulli instrumentum, quo mediante delictum constat esse commissum, satis ad tormenta suppeditare indicii. Minus recte profecto! Non difficulter namque versutus nebulo gladium, securim, vel quodcunque aliud fuerit instrumentum, inscio domino subducatur eum in infinem, ut delicti, quod molitur, suspicionem ex gladio, in facinoris loco relicto, in dominum gladii derivet; atque ita semet ipsum ab illa securum præstet. Quin imo nonne etiam evenire potest, ut quis, nemine præsentem, instrumentum ante alienaverit homini cuidam aut ignoto, aut defuncto aut latitanti; adeo ut istius rei testimonium haberi jam nequeat. Hæc similiave alia in hisce casibus obtigisse, ac perquam temerarium esse ad hujuscemodi indicia quempiam excarnificare, utinam nec ipsa nostra testi foret patria!



XVI. Ad hæc verbo videndum quoque an ubi, aliquo propius ad cæsum cadaver accedente, sanguis aut ex occisi vulnere, aut naribus, aut ore effluat, non saltem hoc sufficiens ad Torturam argumentum ponere credendum sit? Minime gentium! Possè nonnunquam aliquid sanguinis ex cadavere emanare, ipsa experientia non semel confirmavit: neque est tamen quod illud paradoxum adeo vel miraculosum alicui videatur. Non certe, animâ a corpore separatâ, semper omnem intus in corpore particularum motum cessare credendum est; imo vero non posse sæpius non fermentationem quandam inducere humoribus superstites adhuc inibi particulas spirituosas, ut & æreas (maxime si calidiores sint) intra cadaver admissas, & ratio & experientia suffragantur: hac autem inducta in corpore humano fermentatione sanguinem quandoque ex illo emitti, quid vetat? Nulla dubio procul fermentatio unquam peragi potest absque locali particularum, quæ fermentationem subeunt, motu: quo necessario obtingit ut humores, & perconsequens particulæ sanguinæ, in illa fermentatione motæ atque dilatatæ, majus, in quo contineantur, sibi postulent spatium; atque adeo quasdam earum particularum foras prorumpere mirum nequitiam est. Plures adhuc ac variæ aliæ hujus fluxus reddi possunt rationes, ast medici fori, non juridici, hæc res est. Quidquid autem hujus rei fuerit, luculenter saltem insanire putem illos, qui ad fortuitum ejusmodi sanguinis proventum hominem ad Torturam abripiunt. Demonstratam hic mihi vel ullam inter sanguinis eruptionem, & delicti perpetrationem connexionis speciem, videre exoptarem. Quod nonnulli somniant de naturali antipathia, quam semper inter eum qui occidit & cadaver occisum intercedere clamant, & illam sane hujus dicti effectus causam credere ipsa mihi naturalis antipathia est.

XVII. Pari passu cum præcedenti signo ambulat & alterum, quo, cheu! infelicem nimium ac inhumanum exitum tot millia hominum innocentium sortiti sunt. Probationem sagarum per aquam frigidam indigito: quæ longo abhinc tempore multos apud populos firmissimum ad quæstionem imponendam credita fuit argumentum. Atque utinam nec hodie in *Germania* delirium illud obtineret! dextrum hunc miseris opprimendi modum nitide delineat *Christ. Besold. discurs. polit. dissert. d. pæn.* „Et initio quidem sagas vinculis exemptas cur-  
„ruique impositas per carnificem extra portam ad profluentem de-  
„vehi jubet: ibi decussatim ex sinistra manu dextræ pedis pollicis, &  
„rursus



„ rursus dextra manu sinistri pedis pollici alligatis, in aquas conjiciun-  
 „ tur supinæ ut faciem ventremque habeant cœlum versus spectan-  
 „ tem, & dorso suo aquæ superficiæ incubent: quæ si tunc submer-  
 „ gantur, ut innocentes absolvuntur, si vero non subsidant, sed an-  
 „ seris & anatis more aquis supernatent, eodem adhuc die de gravif-  
 „ simis eculi cruciatibus ipsis subjiciendis agitur. Ac tum quidem  
 „ comminatione gravis quæstionis facta, si non confiteantur, duri-  
 „ ter torquentur, tantisper dum vel pactum sese tantum cum Satana  
 „ iniisse, vel incantationibus prætera suis hominibus pecudibusve  
 „ damnum intulisse confiteantur. En justum, scilicet & validum ad  
 „ Torturæ subjiciendos deplorandos reos, indicum! Quasi vero diabo-  
 „ lus homines leviores redderet, atque omnis aquis supernatans venefi-  
 „ cus dicendus foret. Contrarium certe & ratio & experientia clamat.  
 „ Sed hæc tantum recitasse satis me refutasse autumo, dubius non im-  
 „ merito plusne inhumanæ & belluinæ ferociæ, an vero minus sanæ  
 „ rationis in hoc procedendi modo conspicuum sit?

XVIII. Inter casus, quibus unum signum ad decernenda tormen-  
 „ ta sufficere vulgo creditur, etiam (teste *Ant. Matth. ad tit. de quest.*  
 „ n. 14.) authores referunt hoc: cum quis tremebundus ex domo pa-  
 „ trati delicti profugere visus sit. Verum enim vero quis illud unicum  
 „ tantum dixerit indicium. Fuga namque, gladius, & quidem san-  
 „ guine adhuc madens, tremor insuper, quosque similes illo in homine  
 „ prædominari cernimus affectus, nonne singula hæc totidem majori  
 „ jure dicenda sunt signa? quæ, quemadmodum serosim spectata, debi-  
 „ lia valde sunt, ita & una concurrentia sicarium tam clare demonstra-  
 „ re videntur, ut vix, imo vix aliud, quam ipsius rei confessio, de  
 „ esse videatur. Quapropter principia juxta ante posita illum legitime  
 „ quidem eculco imponi, minus recte tamen illud ad unum signum  
 „ dici, affero.

XIX. Acriter quoque DD. controvertunt hic, num, reo quempiam,  
 „ tamquam delicti participem, nominante, illa nominatio non satis  
 „ prægnans ad quæstionem sit argumentum? Quam antequam decida-  
 „ mus controversiam, prius, an quidem juxta leges civiles reum in  
 „ conscios interrogare permissum sit, hac occasione despiciendum oc-  
 „ currit. Laborantes hic admodum atque legum, quæ directe sibi invicem  
 „ contradicere videntur, multitudine pressos video JCTos: modo nam-  
 „ que in conscios exanimare axie vetant, *ll. ult. C. de accusat. l. 16. §.*  
 „ *1. de quest. Paul. 1. sent. 12. §. ult.* modo rursus illud ipsum appro-  
 „ bant



bant *l. 29. de pen. l. 1. §. 26. ff. de quest. l. ult. C. de malef. & mathem. l. 1. C. de fals. monet. l. pen. C. de servit. l. 17. ff. d. Sc. Syllan.* Hos autem ut feliciter conciliarent contrarium determinare videntes textus, varii DD. varias excogitare distinctiones. Inter cæteras vero probabilior ac tersioribus JCtis magis recepta hæc est: quod ll. duplicis generis reorum mentionem facere credendum sit, differentiam statuentes inter reum sua sponte & ultro confitentem, & inter illum, qui aliunde convictus, & non sponte confessus est; ita quidem ut ll., quæ reum in conscios interrogare inhibent, illum reum indigent, qui ultro & sponte facinus confessus est, ne forsitan parili facilitate, qua semet ipsum oneravit, talem hominem & alios prodere metus sit: quæ vero ll. reum in socios examinare permittunt, de tali reo verba faciant, quem non tam spontanea confessio, quam justa convictio criminis arguit reum, siquidem non adeo metuendum esse vulgo creditur, quod ille, qui (quamvis ipse vere reus) crimen fateri noluerit, innocentes facile gravaturus sit. Quod tamen an eventui semper accrate respondeat, vereor ego.

XX. Hujus autem rei quidquid fuerit, atque etiam si quandoque reos in conscios interrogare haud respuat jus R. non tamen solam hanc rei nominationem ad imponendum aliquem eculco, sufficere assero. Vel millies sane comprobavit experientia a reis, seu ultro confessis, seu legitime convictis, tanquam delicti consortes nominatos fuisse illos, quorum sero postea detecta fuit innocentia. Neque illud adeo mirum videatur, quoniam semper solatium qualecunque miseris est socios habuisse malorum. Unde & scite inquit *Seneca Troad. act. 4. in choro.*

*Lenius luctus lachrimæque mordent  
Turba, quas fletu simili frequentat  
Semper, ah! semper dolor, ipse magnus  
Gaudet in multos sua fata mitti,  
Seque non solum patuisse pœna.*

Minus adhuc mirabimur tam crebro innocentes a reis assignatos fuisse, si illud, quod ipse Imperator *l. fin. C. de accusat.* innuit, attenderimus. scil. reos alios insimulare, quod eo modo veniam a iudice vel ad minimum sententiam mitiorem sese adepturos sperent. Quin imo nec defuere rei (quod quoque non obscure ex *d. l. fin.* colligere datur) qui eo impietatis provecti fuerunt, ut illos, quos odio profe-

que-



quebantur, ad opportunam de inimicis suis sumendam vindictam, utpote facinoris sui coadjutores nominare haud dubitarint. Notatu digna est, quam hujus rei refert *Justinus l. 2. cap. 9. Historia*: „Alter „*Hippias* nomine, cum imperium paternum teneret, interfectorem „fratris comprehendi jubet; qui cum per tormenta confcios cædis no- „minare cogeretur, omnes amicos tyranni nominavit: quibus inter- „fectis, quærenti tyranno, *an adhuc aliqui conscii essent, neminem ait, „quem amplius mori gestiat, quam ipsum tyrannum.* Talia similiaque alia incommoda hac in re prævidisse & ipsum *Imperatorem Antoninum* mihi persuadet prudentissimum ipsius monitum: *Convictis confessisque, ad societatem sceleris vocantibus eos, a quibus apprehensi custoditive sunt, facile credi non oportet. l. 4. C. d. quest.* Tandem quis amplius dubitet sæpe numero infontes criminis coadjutores a reis assignatos, quem tormentorum non latet asperitas? Quandoquidem enim (ut ex sequentibus clarè satis patescet) tantis doloribus ac tam immanibus in quæstione cruciatibus homines afficiuntur, ut crebro per tormentorum vim falsa expressa confessione, sibi ipsis miseri certissimum excidium procurare coacti fuerint, nonne sane eadem dira Torturæ sevities tanto magis reos ad quosvis confcios nominandos adiget? omni procul dubio, ut sese eculi angoribus eximant, perfacile socium hunc vel illum arrepturi sunt rei, sub tormentis jam sudantes.

XXI. Sciscitari quoque hac occasione DD. video, an saltem ille, qui a vulnerato, quem præsentissima manet mors, tanquam vulneris læthiferi designatus sit auctor, quæstionibus non possit legitime tradi? Dubitandi rationem facit, quod vix aliquis in instanti mortis periculo mentiri præsumendus, ast potius propriæ salutis memor esse credendus sit homo moribundus *arg. l. fin. C. ad l. Jul. repet.* Hinc & *Donat. in Adelp.* dixit: *Servus magnum veritatis indicium addidit dicendo moriens, nemo enim moriens non vera loquitur & urgentia, unde in jure ultima judicia certiora sunt.* Verum enimvero & nihilominus hancce vulnerati nominationem frustra tanquam prægnans satis ad infligenda tormenta obtundi indicium assevero. Jam ante modo vidimus ad unius testimonium neminem esse torquendum: hic autem unum tantum esse testem quis adeo cæcutit ut non cernat? Sed quid dico tantum unum testem? imo vero, quod magis adhuc est, unus hic testis est in propria causa testimonium præbens, cui, quamvis jurato, fidem non adhibendum merito docet *Perez. in C. ad tit. de quest. n. 16.* Frustra sane hic regeras, quod non facile cui mors im-



minet mentiri præsumatur, quandoquidem haud paucos sæpe numero reperias facinerosos, quos ( ut loquitur *Matth.* ) *improbitas non ante, quam vita, deserit*, qui proinde, dum de salute sua parum solliciti, perfacile ex odio, inimicitia vel alia quacunque malevolentia, quemvis innocentem calumniari non verebuntur. Nec enim omnem morientem esse *Joannem Baptistam* lepide inquit *Fachineus in controvers. l. 9. cap. 7.* Hincque prudenter fatis monet *Ulpianus: si quis moriens dixisset a servo vim mortis allatam sibi, non esse credendum domino, si moriens hoc dixit, nisi potuerit & probari. l. 3. §. 1. ff. d. Sc. Sylan.*

XXII. Fuga etiam an efficax ad Torturam ponat argumentum? ventilari solet. Neque hic pro iisdem partibus stant JCI. nonnulli hanc fatis indicii apportare simpliciter affirmantes, alii iterum illud ipsum aperte negantes; haud pauci quoque inter fugam, quæ ante, & illam, quæ post institutam accusationem contigit, hanc differentiam statuentes, ut illa, non hæc ad eucleo quempiam tradendum fatis validum, credendum sit signum. Me autem in illorum DD., qui nullam fugam fatis indicii suppeditare statuunt, sententiam ire jubet æquitas. Sibi quippe vitæque suæ matura fuga consulere sæpe numero vel innocentissimis conducere magis, quam sese iudicum sævitix, inimicorum potentix, testium improbitati, iudicii incerti alex, carceris molestix similibusque aliis incommodis committere quis inficiabitur? Scite non minus quam vere inquit ille: *nescis tu quam meticulosa res sit ire ad iudicem?* Quam male quandoque mortalibus cesserit suæ innocentix nimia fiducia, exempla bene multa virorum nefarie oppressorum fidem faciunt. Miserrimam procul omni dubio cum cæteris innocentissimis pariter ac nobilissimis viris expertus fuisset quondam fortem *GUIELMUS PRIMUS* nisi felici fuga ducis *Albani* corrupto tribunali sese subduxisset. Prudenter hinc quoque *Alcibiades* vocatus ab Atheniensibus ad causam capitis dicendam (teste *Plutarcho*) dixisse fertur: *stultum est fuga sibi non consulere, cum fugere possis.* Non itaque cunctos fugientes propter culpam: sese in fugam conicere credendum est; ast vero homines, quorum alterius in manu posita vita est, sapius id cogitant, quid possit is, cuius inditione ac potestate sunt, quam quid debeat facere *Cicer. pro Quinct.* Nec juvat hic illa inter fugam, ante & post accusationem institutam, distinctio: frustra enim quis tam illam, quam hanc malæ causæ interpretatur indicium. Quod autem *Perezius*, fugam ante accusationem peractam innuens, dicit ad *tit. de quest. n. 11. nihil aliud hoc in casu fuga causam dedisse, quam conscientiam sceleris*, non equi-



equidem illud adeo exploratum video. Fugere utique hoc in casu dicendus ille est qui abest, nec istic loci amplius reperitur, in quo commorari ante consuevit. Jam autem simulac quis alium in locum secessisse comperitur, hanc absentiam statim conscientiae criminis, putare suadet ne charitas, qua bonus tamdiu quisque praesumendus, donec malus esse demonstretur? neququam! Sexcentae profecto alicui rerum circumstantiae obtingere possunt, quae ipsum solum vertere, laremque ac fortunarum suarum summam alibi constituere suadent: nec quoque semper migrationis suae causas aliis communicare aut potest aut tenetur quis.

XXIII. Caeterum & innumera paene alia non nullos DD. referre signorum, tanquam ad Torturam instituendam satis sufficientium, exempla comperio; eorumque praecipua ac maxime praegnantia sequentia vulgo creduntur. Minae in hominem occisum ante eadem ab aliquo effusae: Capitalis, quae reum inter ac laesum ante commissum facinus intercessit Inimicitia. Sinistra, qua quis premitur, famar: flagitiosorum familiarior Usus: Ipsius rei de crimine Transactio: Mores ac Vita ante acta, aliaque similia, quae omnia hic specialius enotare temporis refragatur penuria. In genere tamen ex his, quae praelibavimus, satis apparere puto nullum horum omnium per se satis validum esse ad torquendum signum.

XXIV. Tantum de signorum eorumque validitate: cui materiae antequam colophonem addo & illud hic sicco pede transeundum neququam est; scilicet quod non sufficiat in imponenda quaestione iudicem de indiciis eorumque sufficientia edoctum esse, sed & insuper reo illorum, quae contra ipsum militant, indiciorum copiam esse communicandam, testesque in ejus conspectum esse producendos, vel illorum nomina saltem esse edenda, ipsissima suadeat aequitas: dictitans aperte satis reos sese defendendi privilegio, quo ipsa illos beavit natura, non esse orbandos: quo certo certius spoliarentur miseri, quibus nec indiciorum nec testium copia fierit. Quid enim in iudicio sese defendere aliud denotat, quam indicia, quibus reus gravatur contrariis indiciis elidere; adversus testes eorumque conditionem excipere, atque ita quocumque modo innocentiam suam tutari. Qui vero reus, cui nihil indiciorum scire permittitur, indicia, quae ipsum suspectum postulant, contrariis elidat? Quo pacto idem excepturus contra testes eorumque intestando (ut ita loquar) habilitatem, quos vel fando nondum nuncupari audivit?



Quæ omnia indiciorum exempla reo tam necessario suppeditanda arguunt, ut etiam illa, sive ex ignorantia, sive ex negligentia, non petentibus, ultro a iudice offerenda sint. Quandoquidem enim bonum iudicem non modo medium agere reum inter & actorem, sed & (quod magis est) in dubiis pro reorum partibus stare decet, hinc loquido consequitur, si quid a partibus, & præsertim, ob jam datam rationem, à reis comperiatur omisium, illud supplere officium iudicis esse *l. nl. C. ut que def. adv. part. art. l. 9. §. 1. l. pen. ff. de interrog. ad l. Corn. de fals. l. 1. princ.* Hocque eo diligentius iudici executioni mandandum est, quanto reus in iis, quæ ad sui defensionem conducant allegandis vel petendis comperiatur negligentior, justo namque tunc temporis suboriente metu ne forsitan ille reus perire festinet *arg. l. 1. §. ult. ff. de quest.*

XXV. Ita illustratis Personis, quibus: Causis seu delictis, in queis: Indiciis, ad quæ Tortura legitime decernatur, tandem, quem ante mihi præfixi, disputationis ordo flagitat, ut formam modumque, quem juxta hæc tormentorum praxis instituenda est, intueamur: non enim legibus statim satisfacisse autumandus est ille iudex, qui reum habilem, in justis delictis & ad legitima indicia torserit, quoniam mæpere in ipso torquendi modo deliquisse potuit talis. Varios, quibus tormenta infligi solent, si pensitemus modos, illos tanto numero eoque diræ atrocitatis diversas apud gentes jam longe abhinc tempore crevisse comperimus, ut in illis enumerandis longe facilius initium quam finem assequi detur: & recte alibi *Grævius*, *plura esse eorum genera, quam corporis humani membra.* Sexcenta ejusmodi ingeniosa sævitæ instrumenta, quibus sædis haud secus, quam plusquam in humanis modis in mortalium corpora sævire consuetum est, desideranti luculenter suppeditabunt *P. Sach. quest. medic. legal. l. 6. t. 3. Damboud. prax. crim. cap. 37. Carpz. q. 117. Græv. de tort. l. 1. cap. 4.* quæ cuncta brevitati studens silentio transeo. Quænam autem ex illis omnibus tanquam justî torquendi modi excerpti sint definitu satis difficile est, lubensque cum *Clariss. Hubero* positeor: *plane facilius est dicere qualia non esse debeant, quam certi præscribere quidquam, in pral. ad tit. d. quest. n. 6.* Apud Romanos saltem usum fodicularum & eculei (quodnam tormenti genus hoc fuerit accurate delineatum vide apud *Sigon. 3. de jud. pap. Rom. 17.*) increbuisse indicant *l. 7. de Manib. & males. l. 4. ad l. Jul. Majest. l. 16. C. de quest.* Cæterum tamen in re hæc incerta illud in genere certum est, quod eo modo torquendus sit reus, ut post Torturam institutam,



tutam, aut innocentiae aut pœnæ saluus evadat tortus, *l. 7. ff. de quest.* Salyum superesse reum oportet non tantum ut supervivere possit, sed & ut operi peragundo, quo sibi de victu atque amictu prospicere teneatur, non reddatur ineptus. *Quid enim (ut vere Math. loc. sep. cit.) si sutor, si faber si arator fuerit tortus, quis dixerit saluum esse innocentia, si ita vires fracte sunt, ut operis diurnis familiam exhibere non possit. Committimus itaque maturo iudicium iudicio ita infligenda tormenta, ut moderata rationis temperamenta desiderant l. 10. §. 3. ff. de quest.*

XXVI. Ad torquendi modum spectat quoque ordo, quem, ubi plures torquendi, observare fas est. Non enim *ll.* promiscue à quocunque initium capi volunt: desiderantes passim à *suspectissimo incipiendum* & à quo *facillime posse verum scire iudex crediderit. l. 1. §. 2. ff. de quest.* ut & ab eo *primum incipiat, qui timidior est, vel tenera ætatis videtur. l. 18. princ. ff. eod.* Hincque liberos prius quam parentes, (tum quod pro affectu parentes magis in liberis terreantur *l. 8. §. 3. ff. quod met. caus.* tum quod per filii corpus pater magis quam filius periclitetur *§. ult. Inst. d. nox. act.*) fœminas quoque quam masculos, uxorem prius quam maritum Torturæ dandam inferunt DD. *Ekholt. ad tit. de quest.* Qui tamen in iure civili præscriptus quæstionis ordo num omni ex parte laudes mereatur, semperque satis felices producat effectus, merito quis ambigat. Hæc de re videtis *7. Grav. l. sep. cit.*

XXVII. Porro hic quoque videndum quid iudicis sit, adhibitis dicto modo tormentis. Aut enim reus in cruento hoc examine objectum crimen confessus est; aut tormentorum immanitatem obstinaci animo perpeffus, præfracte sese facinus commississe negavit. Cum istoc, qui crimen in ipso Torturæ actu fallus est, sequenti modo procedendum, docent Jcti: ut scilicet ille remotus jam ab eculeo iterum, absque ullo tamen tormentorum apparatu, interrogetur, sicque exploretur, num reus in illa confessione perseveret, num vero eandem recantet. Tempus, quod primam inter & secundam interrogationem interlabi oportet, ad minimum 24. horas major DD. pars statuit: illis enim elapsis, tum demum reo, iterata vice rogato atque confessio, magis fidem adhibendam esse censent. Atque ita tandem reum, extra vincula ac dolores (ut practici loquuntur) constitutus, si idem illud, quod sub tormentis dixerat, asseveret, secure satis condemnari posse credunt. Sin vero contra evenerit, ut, qui sub tormentorum anxietate confessus fuit, jam doloribus exemptus, confessionem suam retractaverit, iterari in tali potest quæstio: quæ si & altera vice reo expressa,  
& co-



& eodem modo, quo mox dixi, absque tormentis examinandus ille est; quod si autem iterum confessionem recantaverit, & tertia vice in illum Tortura decerni potest: rursus tamen illo, quod dixerat, tertia vice reclamante, non reiteranda esse tormenta Jctorum communior ac receptior opinio est. Vid. *Carpz. in prax. crim. Matth. decrim. Perez. in Cod. ad h. t.* aliosque autores.


XXVIII. Quid vero si quis, immoto ac constanti animo Torturæ cruciatus perpeffus, mordicus sese crimen patrasse inficias iverit? Nec tamen illum extemplo dimittere suadent *ll. Repeti* namque *posse questionem Divi fratres rescripserunt l. 16. princ. ff. de quest.* Eiusque repetendæ duplicem potissimum causam assignare videtur *l. 18. §. 1. ff. eod.* Primam puta: *si reus evidentioribus argumentis oppressus sit.* Alteram: *si in tormenta animum corpusque duraverit.* Primam hancce quod spectat causam, circa illam disquirunt DD. num hic argumenta evidentiora, quæ lex mox citata, ut legitime quis Torturæ subdi possit, desiderat, intelligentiæ sint argumenta, post primam institutionem denuo emergentia, an vero, ut ad secunda tormenta eatur, sufficiant argumenta priora, urgentia modo illa satis ac evidentiora sunt? Posteriores sententiam, utpote neque *d. l. 1. inimicam*, nec etiam communi fori usui improbatam non infimæ notæ Jctos amplexos video; docentes tamen passim, reo secunda vice in inficiis perdurante, non esse tertio resumendam quæstionem, nisi ad nova sese offerentia indicia. Altera mox ex *l. assignata*, repetendæ Torturæ causa erat hæc: *si in tormenta animum corpusque duraverit.* Quod quando ac quo casu contingat, ipsi judici videndum superest, habita tam inflictorum tormentorum atrocitatis, quam torti virium ejusque corporis sufficientiæ, ratione.

XXIX. Quandoquidem itaque post ter repetitam Torturam, haud facile illam resumere suadent Jcti, quid ergo cum tali tandem agendum, qui ter tormentorum vim expertus, nihilque confessionis edidit, vel, qui sub ipso quæstionis exercitio crimen quidem confessus, sed ab illa remotus, confessionem identidem recantavit, haud inopportune hic roget quis. Non hic omnium DD. consentiens opinio est. Vid. *Fachin. controv. jur. cap. 33.* Missis vero aliorum Jctorum sententiis, illam opinionem juris civilis regulis magis respondere autumo, quæ reum, ter tortum, absolvendum statuit; & quidem non modo simpliciter ab instantia (ut *Perezio* plurimisque aliis placet Jctis) sed & ab ipso crimine absolvendum hic esse reum plus satis suggerunt *l. 4. C. d. edend. l. 7. de accus. l. 3. §. 1. de prævari l. 4. §. 1. ff. ad l. Jul. d. adult. l. 11. C. de*



*C. de accus. l. 47. ff. de O. & A. l. 5. de pen.* Secus attamen hodie obtinere, reumque ab instantia potius, quam ipso crimine absolvi non inficior. Rationem hujus nostri à jure R. divortii egregie docet *Ant. Matth. l. de crim. ad tit. de quest. cap. 4. n. 17.*

XXX. Tandem & illud adhuc ad jus civile videndum reliquum est: quid, si judex aliquem inique aut contra legum tenorem tormentis excarnificaverit? Justa omni proculdubio hic judicum iniquitas pœna coërcita fuit: variante tamen illa prout vario ex animo judex hominem illegitime torserit. Si enim ille dolo malo ita aliquem excruciet, ut sub manu carnificis decedat in *L. Corneliam de Sicariis* incidit: Si vero non occidat, de portatione mulctatur: si, ut torqueret, pecuniam acceperit, ex lege Julia repetundarum conveniri potest. *l. 1. ad l. Cor. de sicar. l. 7. §. ult. ad l. Jul. repet.* Quod vero si non dolo, aut per imperitiam inique aliquem quæstionibus tradat judex, extraordinaria coërcetur ille pœna. *arg. l. 1. 3. l. 3. §. 2. l. 4. §. 1. ad l. Cornel. d. sicar. l. 5. §. ult. de pen.*





DISPUTATIONIS JURIDICÆ

INAUGURALIS,

D E

T O R T U R A .

PARS POSTERIOR.

T H E S I S I .



Uc usque de Tortura ejusque praxi, quatenus legibus civilibus comprobata, differui: ut itaque nunc illam quoque ad legis naturæ ac sanæ rationis normam, ad quam, haud secus quam aurum ad lapidem lydeum, explorari oportet cuncta in Christianorum judicii applausum meritura, examinem, illud, quod ante in sine proæm. demonstrare promisi, flagitat. Et sane ut hic in limine quod sentio, candide fatear, injustam, iniquam, fallacem, insignium malorum promotricem, ac denique omni divini testimonii specie plane destitutam esse violentam hanc quæstionem intrepide assero: ut & contra, quæcunque pro hujus carnificinæ usu stabiliendo ab illius fautoribus in medium proferuntur, refutatu perlevia esse, nec quidpiam soliditatis in se continere censeo. Agendum ut iis, quæ hic assero, plenam fidem faciam, præcipua, quibus impugnatur ac plane convellitur funestum hoc de Tortura placitum, lustremus argumenta, eorumque, queis alii frustra illud tueri conantur, debilitatem pro paginæ angustia detegamus.

II. Inter argumenta quæ exitiale hoc de quæstione documentum summopere dissuadent, in fronte hic sese offert summa injustitia, atque aperta iniquitas, quam omne Torturæ exercitium inevitabiliter secum portet necesse est. Certum utique est atque ex ante dictis plus satis liquet Torturam esse medium inquirendi in crimen, quoad ejus authorem, *dubium* ac hætenus *incertum*: jam vero & ab altera parte non minus exploratum est, miseros reos, quos an fontes an vero infontes esse nondum constat, in omni torturæ exercitio certissimis ac indubi-  
tatis



tatis excarnificari cruciatibus: quapropter, quandoquidem, (ut vere dixit *Ant. Matth. de crim. ad tit. de quest. cap. 5.*) *omnis corporis cruciatus pena est, etiamsi ante sententiam inferatur*, criminis autores incerti pœnis affliguntur certissimis. Scita sunt quæ huc attinguntur *Augustini* verba: „ quid cum in sua causâ quisque torquetur & cum quaeritur „ utrum sit nocens cruciatur; & innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas, non quia illud commississe detegitur, sed quia non „ commississe nescitur. Ac per hoc ignorantia iudicis plerumque est „ calamitas innocentis. *August. d. civit. Dei l. 19. cap. 6.* Et certe si rem penitus aliquanto introspicere lubeat, non tantum ac simpliciter incerta scelera per quaestionem pœnis expiari certissimis comperimus, ast vero per Torturam miseris reis, incertis hætenus ac nondum convictis, tales plerumque infliguntur pœnæ quæ atrocitate sua immane quantum superant illas, quibus ejusdem criminis si plene convicti, afficiendi forent: vix enim, imo vix est ut cruciatus ac per consequens pœnæ, quæ ex inflictis tormentis in hominum corpora redundant, cum mortis angoribus comparari valeant. *Hic torquemus homines ne in fontes moriantur, ut magis nos eorum misereat, quam si morerentur: adeo graviora sepe sunt tormenta, quam mors.* Verba sunt *L. Viv. ad August. d. civ. Dei. l. 9. cap. 6.* O nimis impia in plectendo perversitas! Quid injustius? Quid vel ab æquitatis umbra adeo abhorrens excogitare datur unquam, quam miseros mortales, qui forsitan infontes sunt, excarnificare pœnis tam trunculentis, ut vel earum meminisse animus, cui modo parum adhuc humanitatis sensus superest, horreat luctuque que refugiat. Pœna omni procul dubio (& clamante ratione & fatentibus ipsis *JCtis. l. 131. l. 244. d. V. S.*) veri delicti, nequaquam incerti criminis coërcitio dicenda est. Quandoquidem itaque pœnam omnem, si justa fiet, verum crimen, ad quod solum coërcendum adhibenda est, præsupponere constet, hic autem cum ad Torturam quis abripitur crimen dubium plane sit, ideoque ratione istius, qui tantum suspectus est, revera crimen dici nequeat, quo fodes æquitatis colore, quoque rationis fuce in vestiri possit illud de quaestione dogma, quo scelerum auctores incerti non modo certis, sed & plerumque severioribus longe, quam si convicti sunt, pœnis dilacerantur.

III. Non minus læthale vulnus Torturæ usui infligi multifaria fallacia, gravissimique errores, queis illum inevitabiliter ob noxium esse non minus ipsorum *JCtorum* testimonia, quam experientia abunde fidem faciunt. *Etenim res fragilis est* (inquit *Ulpianus* de quaestione verba faci-



ciens l. 1. §. 23. ff. de quest.) & periculosa & qua veritatem fallat. Unde vere Cicero in orat. pro Cluent. in questionibus non id agi videtur, ut verum inveniatur, sed ut aliquid falsi dicere cogantur, qui torquentur. Quò vero hujus contra tormenta argumenti vis clarius elucescat, latius hic aliquanto qua in re Torturæ fallacia ac ejusdem errores consistant, detegendum est. Duplici potissimum modo illam fallacem à erroneam sæpe numero compertam fuisse plurimorum scriptores sæculorum memoriæ prodidere. Primo, quod haud pauci, qui, criminis vere rei, fortiter omnem Torturæ ferociam perferant, atque ita, quantumvis fontes, nihilominus legitime per illam absolvantur: secundo, quod contra homines innocentissimi per illam crebro miserrimum in modum opprimantur, atque iniquissime ad mortem rapiantur.

IV. Primum quod spectat; innumeros sane, quos postea superadventientia indicia arguere nocentes, vim quæstionis omnem constanter perpeffos esse, nihil confessionis ipsis exprimere valentibus vel dirissimis tormentis, tam certum est, quam quod certissimum. En illud quoque ipsum Jctum confitentem: *Nam plerique patientia sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi illis veritas nullo modo possit. d. l. 1. §. 23. ff. de quest.* Hinc venuste etiam orator: *multi aut natura corporis aut consuetudine dolendi, aut metu supplicii mortisque vim tormentorum perinsulerunt. Cic. in part. orat.* Nec etiam exemplorum ejusmodi hominum penuria laborant historiæ. *Philippum Fulvii Flacci servum vel oetis severissime tortum, nihilque omnino tamen aut de semet ipso aut fociis criminis confessum fuisse annotat Valer. Max. l. 8. cap. 4.* Hispanum illum, qui *Pisonem* necaverat conscios edere adactum in mediis tormentis magna voce clamasse frustra sese interrogari, nec ullam vim tantam doloris fore ut veritatem eliceret, refert *Tacit. l. 4.* Quam pertinaci animo *Epicbaris*, mulier libertina, quam *Nero*, ratus muliebre corpus impar dolori, tormentis dilacerari jussit, spretis omnibus dirissimis quæstionis cruciatibus, omnia, quæ rogabantur, pernegavit: vide apud *Tacit. l. 15.* Ast quid exemplis jam temporis antiquitate pene deletis recitandis hic me detineo; quoniam hujus rei testimonia non, una vice in ipsa nostra patria, obvia fuisse, lippis atque tonforibus fatis notum est. Hos itaque similesque frustra quæstionibus dari curat judex, nec quidpiam ex Torturæ praxi illos in homines adhibita, vindictæ publicæ consulitur, cum nulla expressa per tormenta confessione, etiam juxta leges puniri haud queant illi. Imo vero vindictæ publicæ illo in casu potius resisti atque obicem poni quis



quis non cernat, quandoquidem ter tortus & nihil confessus, absolvendus sit, idque non modo jure R. ab instantia, sed & ab ipso crimine, ut liquet *ex ib. 30. prio. part.*

V. Sed & alteram, præcedenti multis parafangis deteriorem, fallaciæ errorisque labem, qua sordet Tortura, intueamur. Eamque mox hanc esse diximus: quod per quæstionis praxin innocentes plurimi nefarie opprimantur ac perquam inique ad mortem rapiantur. Miserrime, proh dolor! per funestum hoc exercitium opprimuntur mortales, cum tormentis dirissimis ac plusquam inhumanis usque adeo excarnificanti, ut crimen aliquod, cujus fortassis ne quidem unquam ipsis subit cogitatio, sese commisisse mentiri necesse habeant, atque ita (ut loquitur *Sulp. Velt. in inst. Orat.*) *torti mendacio cruciatibus suis sinem quarunt.* Nec enim esse multos tanta impatientia, ut quidvis mentiri quam pati tormenta velint, ipse abneget *Jctus. l. 1. §. 23. ff. de quæst.* Porro quoque miseri mortales ita prius sub tormentis immerito oppressi, iniquissime tandem ac nefarie ad mortem condemnantur, dum intolerabilium illorum, quos jam modo sub Tortura experti sunt, angorum haud immemores, in falsa sua mendacique confessione perseverare, quapropter & una ac subitanea morte perire, quam recitando suam confessionem, iterum subire ipsa morte longe diriores tormentorum cruciatibus, satius sibi ac lenius ducant. *Dolorem fugientes multi in tormentis per sepe ementiti sunt, morique maluerunt falsum faciendo, quam insciciando dolere.* Ita hac de re testantem vid. *Cic. l. 2. ad Herem.* Et nimis, eheu! illud ipsum confirmat tristissimorum hujuscemodi exemplorum uberrima passim obviam messis. „ Ach quantus eorum numerus! quam ingens eorum turba! „ quorum innocentiam crudelissime oppressit Tortura. Certe tam frequenter ubivis locorum hi fuere abusus, ut vel ad solam funestorum quæstionum mentionem ingemescat christianum pectus. *J. Grev. l. sep. cit.* Seriem mortalium per Torturam nefarie oppressorum impieque necatorum hic transcribere, nimis arcti, queis inclusis sum, disputationis limites respuunt. Ast tamen miseriæ hujus deploratuque digna objecta si cui cernere allubescat, videlis. *Val. Max. l. 8. cap. 4. Petr. Erod. decret. l. 6. t. 2. de quæst. Jul. Clar. prax. crim. P. Bor. l. 8. in hist. rer. belg. P. Hoofst l. 10. hist. bel. belg. Grev. in irib. refor. l. 1. cap. 6. §. 1. 2. cap. 4.* pluresque alios, qui Torturæ enucleandæ operam navare. Hoc itaque quandoquidem tam frequenter in Torturæ praxi involvi certissimum sit, scilicet quod illa insontes adeo opprimat ac jugulet, quis, fodes, qui cum humanitate pariter non omnem ejura-



verit rationem, istius cruentæ carnificinæ usum haud admodum detestetur? Sanguis quippe innocens effusus vindictam coram Deo clamitat. *Apocalyps. 6. vers. 10.* Et quam anxie quoque innocui sanguinis effusionem inhibitam vide apud *Jerem. cap. 7. vers. 6.* Unde & odisse ac abominari Deus T. O. Max. dicitur illos qui innocentem sanguinem fundunt. *Proverb. cap. 6. vers. 15. & 16.* Quæ profecto cuncta Torturæ praxin, qua totiens innocens effusus, ac etiamnum effunditur sanguis, funditus extirpare non adeo suadere, quam jubere, videntur.

VI. Ex quibus adstructis sponte sua & aliud sic satis evidens contra quæstionem exsurgit argumentum. Delicti commissi aut non commissi incertitudinem innuo, qua æque non potest non postquam tortum est laborare iudex, quam ante adhibita tormenta. „Quandoquidem enim alii patientia sive duritia tormentorum tormenta ita contemnunt, ut exprimi iis veritas nullo modo possit: alii sunt tanta impatientia, ut in quovis mentiri, quam pati tormenta velint, „*d. l. 1. §. 23. ff. de quæst.* cui bonæ rei, amabo, inferviat cruenta quæstio? Decernitur procul dubio atque cum tantum in finem excogitata est Tortura, ut de delictis hæctenus dubiis, plenius instruatur ac certior reddatur iudex. Ast vero quid certitudinis iudicantibus adferat res, quæ (fatentibus ipsis istius fautoribus *l. 1. §. 23. ff. de quæst.*) *fragilis est & periculosa & qua veritatem fallat.* Quo pacto, sodes, majori fiducia instruat Tortura iudicem, cum (ut lepide inquit ille) mentiatur in ea qui pati potest, mentiatur etiam qui pati non potest, unde ille patientia aut obstinatione superat, hic infirmitate superatur. Assignatam mihi optarem ab istius carnificinæ amatoribus vel ullam rationis speciem, ex qua iudici certo constet an criminis confessio, quæ homini per tormenta expressa est, ex conscientia delicti vere commissi præfluxa, an vero illa rei corporis infirmitati dolorumque impatientiæ adscribenda sit: sic & ab altera parte an illum, cui nihil confessionis per quæstionem exprimi potuit, illæsa criminis conscientia, num autem corporis durities animique obstinatio contra tormentorum vires defenderint? „Quæ enim naturæ vires innocenti contra tormenta suppetunt, eadem & nocenti, imo ut quisque scelestior, ita ferocior & magis obduratus fere esse solet, ac proinde innoxius plerumque citius Torturæ succumbet, cum innocentiam suam contra tam acerba tormenta & dolores exquisitos tueri non nisi exquisitæ minimeque vulgaris sit virtutis, quæ



„ quæ in paucis sane reperitur. Sic verissime dixit scriptor. *Batav. Ar-*  
*cad. pag. 426.* Evidentis hujus veritatis haud nescium merito quoque  
 in hæc verba prorupisse legimus *Augustinum* : „ Quod est intolerabi-  
 „ lius magisque plangendum rigandumque si fieri posset fontibus la-  
 „ chrimarum , cum propterea judex torqueat accusatum , ne occidat  
 „ nesciens innocentem , sit per ignorantiae miseriam ut & tortum &  
 „ innocentem occidat , quem , ne innocentem occideret , torserat.  
 Verissima sane verba ! quæ si cujusvis judicis menti infixæ hæssissent ,  
 næ tam temere ad quamcunque fere per tormenta reis expressam con-  
 fessionem tot miseri mortales ad immeritam haud abrepti fuissent  
 mortem !

VII. Porro & illud quoque Torturæ incertitudinem , ejusque  
 proinde imperfectionem , non obscure arguit , quod in plerisque  
 torquendi modis Tormentorum dolores exasperare vel remittere  
 planè sit carnificis in potestate. Pro lubitu namque ille reos majori-  
 bus vel minoribus affligere potest anxietatibus , ut vix imo vix judex  
 discernere queat num severe , num vero mediocriter tantum tortus sit  
 reus : quapropter quandoque contingat ut carnifex aut nummis cor-  
 ruptus aut quacunque alia ex causa externo apparatu ferociter tor-  
 quere fingat reum , quem interim leviter tantum ferit : ut & ab al-  
 tera parte , aut ex concepto contra reum odio , aut ab alio condu-  
 ctus , vel alia quacunque ex ratione severissime puniat illum , quem  
 tantum leviter torquere simulat. Quoniam ergo utroque hoc modo  
 fucum facere judici potest carnifex , satis apparet parum certitudinis  
 ac fiduciæ judici ex eo emergere , quod reus sub tormentis confessus  
 aut non confessus sit.

VIII. Haud impigre quoque contra quæstionis usum militat illud :  
 quod per Torturam ipsissimo naturæ juri (cujus enim sancta ubivis  
 ac inviolabilis debet esse veneratio) vis inferatur. Semet ipsum de-  
 fendere justisque ideo ad sui defensionem conducentibus uti mediis ,  
 ipsum jus naturæ dictare nemo , nisi suæ ipsius conditionis ignarus ,  
 nescit. Cum itaque omnium populorum consensu defensio sui ha-  
 beatur juris naturalis , nonne exinde invicte pariter sequitur jus natu-  
 ræ quoque tanto magis docere neminem teneri contra se ipsam arma  
 sumere , eaque in propria sua convertere viscera. Quid quæso aliud  
 est , compellere mortales ut per sua propria facta sibi exitium asciscant ,  
 quam funditus extirpare decantatum illud principium : *sui defensionem ne-*  
*mini prohibendam.* Impugnant itaque naturæ privilegium , qui vi forti-  
 tiori



tiori hominem semet ipsum propriis armis convellere, sicque (ut inquit ille) bis interimi cogunt. Ad hoc autem iniquitatis miseros reos sub tormentis constringi clarissimum est. Quidquid enim certitudinis ad reum condemnandum ex testium aut argumentorum penuria iudici hactenus deest, miser ille sub Tortura in sui perniciem supplere adigitur ipse: atque hinc, dum propria sua confessione per immania tormenta ipsi expressa contra se ipsum pugnare teneatur, sui ipsius proditor ac *avoloqans* constituitur tortus. O rem pudendam! Siccine cum humano genere agendum? Recte docet *J. Grev. in trib. reform. l. 2. cap. 2. In civilibus iniquum esse actorem a reo confessionem quasi gladium exigere, domo enim adferre intentionem & instructum venire oportet.* Verumenimvero quanto majore jure iniquum quis exclamet illud placitum, quod in criminalibus, ubi agitur de corio humano, actorem a reo confessionem quasi gladium exigere jubet. Quam iniquitatem Torturam secum portare ex dictis apparet.

IX. Porro etiam Torturam cane pejus & angue in Republ. fugiendam insignia inevitabilique, quorum illa certissimus fomes est, mala inferunt. Ecce enim quaestionem paratissimum tyrannis omnibus, liberiori potius imperio, summa sub justitiae specie in subditos dira saevitia saevienti medium! Nunquam quippe tyranno ficta ac subornata deerunt argumenta, quae illos, quos suae saevitiae elegerit ille objectum, dum suspectos postulavit, juxta leges tormentis tradat, quapropter miseros illos sub egregio aequitatis praetextu dirissimis cruciatibus adeo percutere poterit ille, ut quasi mille mortes obire teneantur. Atque hinc quondam *Tiberius* ad mortem damnatis, utque sibi mori liceret petentibus, *se nondum ignorasse*, dixisse fertur, mortem muneris loco ducens: illos, qui metu tormentorum sibi mortem consciverant, *manus suas evasisse* conquerebatur, in illos utpote amplius per tormenta saevienti occasione praeseissa.

X. Ast ne tantum in imperio despotico pestiferam quis esse credat Torturam: imo vero in quacunque republ. potentioribus aequae ac hominibus privatis planissimam sua scelera tute explendi parat illam. Potentioribus certe, qui imperium tyrannidemve affectant, in promovendis suis desideris egregie admodum navabit operam haec bellua. Quos enim illi homines nequam sibi graves esse suisque conatibus obicem ponere animadvertunt, illos per facile fictis his vel illis indicis suspectos redditos ad Torturam abripi curabunt, ubi tunc nullus dolorum ostendetur expectandus finis, nisi per objecti criminis

con-



confessionem. Atque ita per propriam confessionem quasi convicti, iuste (scilicet) ad mortem condemnabuntur miseri de republ. optime sæpe meriti; liberantibus illis sese hoc modo legitime ac sub pallio iustitiæ per Torturæ inventum ab inimicorum sibi gravi præsentia. Vividum hujus rei exemplum suppeditat nobis *Q. Curtius l. 5. in Cratere ac Philota*. Cum enim sese a gravi *Philota*, præfecti æquitatus *Alexandri Magni*, præsentia liberare moliretur *Craterus*, ille nihil expeditius excogitare, quam ut *Philota* proditionis regi suspectum redderet, quo per tormenta fictum crimen extorquendi nactus occasionem, ipsum e medio tolleret. Nec ipsum fefellit exitus. Cuncta, quæ ipsi objiciebantur, derissimorum cruciatuum vi confessus est, illamque ad confessionem morte plexo *Philota*, dextre (impie attamen) per Torturam ab æmulo suo sese vindicavit *Craterus*.

XI. Quin ut & parilem fere injustitiam sub velo tamen justitiæ, quilibet homo privatus exercere possit, Tortura in causa est. Nam vere dixit *Grevius in trib. refer. l. 2. cap. 3. Corradere facile poterit aliquid malignorum hominum ingenium, quo Torturam in adversarium apud judicem impetret*, qua impetrata sic satis commode & secure per illam de inimicis suis vindictam capturus homo nequam. Imo vero ulterius (quod magis abominabilem redat quæstionis usum) facinerosis commodam suppeditat illa occasionem scelerum, quæ ipsi commiserunt, pœnas in homines innocentes derivandi. Non difficulter utique improba scelestorum calliditas, indicibus quibusdam, quæ ad aliquem eculeo imponendum sufficiunt, gravare novit innocentes: qui miseri, falsa per intolerabiles eculei anxietates confessione iis extorta, tandem, quamvis revera infontes, pœnas, quas ipsi accusatores meriti, tristi spectaculo luere tenentur. „ Illud vide quod de sutore quodam, „ viro innocentissimo narratur, qui ex falsa latronis alicujus nominatione in carcerem compactus, objectricque criminis culpam vi doloris confessus, tristi supplicio perit. Sutorem hunc sceleratissimus „ ille latro, de sceleris sui sociis interrogatus, socium ac conscium indicat, quem, confessum tandem ante oculos latronis hujus supplicio tollunt. Quo peracto in cachinnos solutus latro, satis alta voce exclamat, an non pulchre tibi, pro ut juraveram, rependi? „ Attoniti hanc rem audivere iudices, quibus interrogantibus quid hoc „ rei, respondit sceleratissimus ille se aliquando misero huic sutori, „ quod par calceorum sibi negasset, pessima quæque minatum, ac se „ nunc illius injuriæ vindictam pulchre satis perfecisse. Hæc sunt quæ



*Greuius l. saepe cit. annotat.* plura alia hujuscemodi deploratu digna exempla videre est apud eundem *Greuij. Jonkijis van de pijnbanck 2. Deel*, pluresque autores alios. Ex quibus omnibus fidelissimam & facundissimam terribilium scelerum matrem esse Torturam sole meridiano clarius liquet.

XII. Tandem etiam Torturæ praxin haud parum vituperandam esse censeo exinde, quod nusquam in universo S. Codicis contextu hujus truculenti veritatis examinandæ modi vel ullum videre datur vestigium. *Minime enim (ut verbis Ant. Math. loc. sep. cit. utar) verisimile est, si ad veritatem indagandam quæstio necessaria esset, Deum Opt. Max., cujus leges sine scelere imperfektionis argui non possunt, tam præclarum inuentum prætermisurum fuisse.* Nec quoque Divina justitia ferre videtur, si justum atque tam expeditum criminum investigandorum Tortura foret medium, a Deo illam in sacris literis silentio fuisse præteritam. Crimina quippe pænis expiari quoniam adeo necessario divina exposcit justitia, illamque provinciam quoque judici seculari tam serio demandavit Deus, hinc certe plus quam probabile evadit, si occulta crimina tam dextre legitimeque probari, atque adeo puniri possent per quæstionem, in terris judicaturis illam scelestorum puniendorum viam indigiturum fuisse Deum. Ast quid dico tantum facere de tormentis divina folia? imo vero tacite nonne sic factis prohibetur quæstionum praxis, dum ubique judices in dubiis rebus probandis ad testes ac argumenta, nusquam ad Torturam relegat supremus legislator?

XIII. Frivola sunt, quæ ex S. pagina, tanquam cum Tortura similitudinem habentia, quapropter illam approbantia, adferunt nonnulli exempla. Quæ enim palmarii instar pro quæstione adducitur argumenti potio amara ac maledicta, de qua *Numer. 5.* injicitur mentio, toto cælo illam a Tortura fuisse distinctam, demonstratu per facile est. Bibenda dabatur (ut constat ex *text. allegat.*) hæc potio adulterii suspectæ mulieri eum in finem ut, illa assumpta sub pontificis maledictione, mulieris, suspecti adulterii vere reæ, venter intumesceret, simulque exinde pro commisso facinore cruciatibus non leuibus exagitaretur, sin vero criminis insons foret uxor, nihil omnino doloris aqua amara illi adferret ac illæso corpore evaderet mulier. Plurima hic procul dubio specialia & a Torturæ genio abhorrentia notare licet. Infallibilis ex potione hac propinata aut culpæ aut innocentia emergit probatio: quin & probationem hanc miraculosam plane



plane & supernaturalem fuisse, plus satis arguit textus. Quis vero eo dementiæ procedat unquam, ut Torturam rei dubiæ probandæ modum infallibilem pariter dixerit, ac miraculosam? Certe, quæ ante de quæstione adstruxi, merito mecum *Grevio* exclamare jubent: *Abfit in Tortura sacrum quid aut miraculosum suspicemur: Abfit certum illud atque infallibile ullo modo arbitremur, quod Tortura nobis de veritate delictorum pandit in irib. reform. l. 2. cap. 1.* Præterea quoque male aquæ hujus amaræ usum Torturæ assimilari luculenter admodum ex eo apparet, quod non modo criminis dubii probandi modus, sed & simul vera ac justa nocentibus fuerit illa pœna, innocentibus ex potione istac assumpta nihil incommodi sentientibus. Sed quid hac in parte de quæstione dicendum? num illa etiam delicti habenda pœna? neutiquam, postquam enim per Torturam crimen detectum esse creditur, tum demum ad facinoris pœnam itur. Præterea an illa (ut in potione hac contingit) solos excarnificat nocentes? minime gentium: insontes enim æque ac fontes tormentorum perferre anxietates nimis, eheu! certum est. Tandem & illud inter Torturam ac hanc potionem differentiæ adnotari valet, quod hæc non nisi in solo adulterii crimine investigando adhibita fuerit; illa contra in quovis delicti genere usurpari consueverit: hæc uno semper ac eodem modo reis applicata fuerit, illa pro varia judicum crudelitate infinitis ferme exerceri assolet modis.

XIV. Quod de *Bigam* & *Therech*, regis *Abasueri* aulicis, dicitur *Esth. cap. 2. vers. ult.* non minus inutiliter, tanquam Torturæ exemplum obtruditur. Fateor res, in illo textu, *quæstione habita, deprehensa* dicitur, ac *ambo ex ligno suspensi*. Ast autem quis unquam quæstionem illam per tormentorum dolores fuisse peractam demonstraverit? Quæstionis itaque ejusmodi truculentæ, quæ per cruciatus sanguineos instituitur, quandoquidem altum in Historia sacra silentium, merito hic quoque, quæstione legitime per testes aut argumenta habita, rem deprehensam fuisse inferre jubent illa, quæ contra Torturam jam modo asserui.

XV. Porro ejusdem farinae & illud argumentum est, quod ad asserendam Torturæ praxin ex *Act. cap. 22. vers. 24. & 25.* colligitur. Apostolus *Paulus* (inquiunt illi) ad exprimendam ipsi veritatem, jamjam loris cædendus, non ideo deprecabatur quæstionem, quod injusta foret, sed illam solam ob causam, quia civis romanus erat, quem, ut ante demonstratum est, leges Romanas torquere non facile



cile permittebant: Verum enimvero *Apostolum* quæstionem, quæ tanto tempore tam altas in Republ. Rom. egerat radices, tanquam injustum procedendi modum non deprecatum fuisse, haud est, quod admiremur. Noverat quippe *Paulus* sese parum profecturum in alleganda juris iniquitate superbis illis Romanis qui (testante *Cicerone* l. i. de orat.) *omne jus præter Romanum inconditum ac ridiculum esse* sic satis arroganter sibi persuadebant.

XVI. Ast mihi regerentem quempiam audire videor, quorsum istæ demonstratio: scilicet in S. literis nullam reperiri Torturæ exemplum. Idcone, quia Scriptura de illa conticescit, quæstio ex nostris exturbanda est iudiciis? multa utique pro diversa reipubl. formæ admitti præcepta, quæ in alia non obtinent republ. non raro postulat necessitas, & defacto in nostris haud pauca increbuiere iudiciis, quorum nullum in foliis S. reperire datur verbum. Facilis autem his similibusve objectionibus responsio est. Non equidem diversas pro reipubl. regiminis forma diversa, variasque pro populi genii varietate sæpe numero condendas esse leges inficior: atque iccirco in multis, a præceptis politicis, quæ ipse <sup>nr</sup> populo suo in Hæbræorum *seu egræ* dare dignatus fuit, divortium justum fecisse, alia, qua nunc vivimus suasit regiminis forma. Verum tamen nulli populo, & præsertim christiano, integrum esse assero in suam introducere reipubl. leges, ex quibus æquitas illa atque iustitia, qua cunctæ a Deo olim latæ leges nitebant, exulat. Non itaque eo nomine tantopere extirpandam suadeo quæstionum praxin, quod nullo expressio Scripturæ textu suffulta sit, at ideo maxime non admittendam esse illam concludo, quia nihil penitus in Tortura conspicuum est, quod vel umbram veræ istius iustitiæ ac genuinæ æquitatis, quam in omnibus præceptis divinis observare licet, sapit. Hoccine enim æquitatem indicat plectere quempiam, quem nondum constat fontem esse, nec ne? Hoccine iustitiam sapit noxios impunitos dimittere & contra innoxios morte punire? Hoccine rationi consentaneum est, homines ad sui ipsius cædem constringere? Hoccine ad salutem Reipubl. spectat, quod imperantibus simul ac privatis enormia facinora perpetrandi commodam suppeditat occasionem. Quæ omnia in Torturæ praxi involvi jam satis demonstratum dedi.

XVII. Tantum de argumentis, quæ contra Torturam militant: ut breviter, quenam pro ejus praxi vulgo adducuntur, iustremus superest. Primum quo hoc sævitæ exercitium fautores istius defendere



moliuntur, usus longævus atque inveterata apud tot populos consuetudo est. Jam enim ante ipsius urbis *Roma* cunabula apud Athenienses Rhodiosque, à quibus non exiguam suarum legum Romani mutuaverunt partem, hunc veritatis per tormenta investigandæ modum invaluisse tralatitium est. Quandoquidem ergo longa consuetudo non minus, quam ipsa lex contineat vigoris *l. 33. ff. de leg.* hinc illi Torturam, utpote tam antiquitate, quam tot populorum consensu, corroboratam, necessario tanquam legem in *Republ.* esse salutandam, acriter contendunt. Infirmum valde hoc ab antiquitate depromptum esse argumentum vel leviter attendenti apparet. Legis auctoritate munitam esse consuetudinem, haud inficior ego; sed tamen ut quidpiam veræ consuetudinis insigniatur nomine, ac per consequens legis virtute donetur, non unica antiquitas, non sola actuum frequentia, nec tantum multorum populorum consensus sufficit, imo vero rationabile insuper nulloque errore primitus introductum esse oportet illud omne, quod consuetudinis mereatur titulum. *l. 39. ff. cod. Male enim ad inventa maleque consuetudines neque ex longo tempore, neque ex longa consuetudine confirmantur.* Sic optime ipse *Justinianus Novell. 134.* Hincque perquam prudenter dixit Imperator *Leo. Quidquid adversarium & ad presentem rerum constitutionem illicitum esset, huic legalem auctoritatem derogantes, quæcumque vero consuetudines non male neque noxiæ de rebus construere viderentur, hæc non amplius etiam neglectas consuetudines manere sivismus, sed ad legis vim ac potestatem extulimus. Novell. const. 1.* Siquidem ergo (testibus ipsis Imperatoribus) rationabilem ac nullo errore introductam esse decet consuetudinem, ut illa legis potestate vigere possit, nonne sane cuncta, quæ ante de Tortura docui, satis alte clamant veræ consuetudinis nomine simul ac vi indignam esse hanc in humanam quæstionis praxin. Procul omni dubio summe irrationalem esse gravissimoque errore introductam Torturam ante asserta plus satis probant.

XVIII. Sed missis illis, de quibus ante satis, quæque in nullam *Rempubl.* Torturam tanquam bonam consuetudinem admittere suadent, verbo hic indigitare; quænam in specie adhuc magis in Christianum imperium tanquam legitimam consuetudinem adsciscere quæstionis usum prohibent, operæ pretium erit. Duo hic sese offerunt, quæ præ cæteris quæstionis praxin populo Christiano suspectam admodum ac invisam reddant. Primum est, quod ab hominibus gentilibus, ac inferocis quasi educatis, primitus ortum duxerit, perque illos ad nos tandem ex traduce delata sit hæc ferina inquisitio. Quantum-



vis enim Romani (à quibus hoc dogma ad Christianorum judicia devolutum est) præ ceteris sui temporis populis æquitati maxime studerent, gentilem attamen ac sæveriores eorum animum, (cæteris omnibus quæ huc adferri possent missis) luculenter satis instar omnium comprobant vel unica illorum usitata consuetudo, qua quondam homines solenni spectaculo sese mutuis vulneribus transfodere, sanguineosque ejusmodi lusus ipse magistratus Romanus non modo permisit, sed & mortales spe præmiorum, quæ victori impertiri solebant, ad belluina hæcce invitavit exercitia. Alterum quod præterea Christianus suspectum reddit quæstionis exercitium, hoc est: quod ipsi Romani, quantumvis gentiles ac ferocioris indolis, in mancipia tantum Torturam primitus instituerint, neque unquam facile liberos homines tormentorum cruciatibus subjici voluerint, vid. *quæ ante de person. in part. prior. huj. dissert. dixi.* In servos itaque solos quoniam ab initio adhibuerint quæstionem Romani, nonne hinc satis indicium exsurgit, & ipsos illos satis vivide Torturæ iniquitatem persensisse? cum enim tam misera ac deplorabilis mancipiorum fuerit conditio, ut juxta *l. nulla iis fieri potuerit injuria §. 3. inst. de injur.* quadrupedibus assimilata fuerint *l. 2. D. ad leg. Aquil.* ut & ipsa occidere impune licuerit dominis *l. 1. §. 1. ff. quæst. f. & al. jur.* ex hisce sane R. juris principiis colligere datur, satis audacter quoque & absque ullo injuriæ patrandæ metu in servos olim decreta esse tormenta. Imo vero (quod & sacram Romanorum sævitiam ac miserum servorum statum simul pandit) iisdem hisce gentilibus suis hypothefibus convenienter, omnes illos miseros, qui sub occisi domini tecti commorabantur, ad necis auctorem investigandam tormentis ex carnificare non dubitarunt. *l. 1. princ. ad Sc. Sylan. Tacit. annal. 14. cap. 42. & sequent.*

XIX. Nonne itaque hæc omnia satis manifeste arguunt quæstionem, utpote à gentilibus & hominibus ferocibus introductam, ut & in mancipia, quæ vix homines habebantur, primitus tantum exerceri solitam, longissime proscribendam esse ex tribunalibus Christianorum, quibus Euangelica semper cordi esse debet mansuetudo, quorumque animus tam impia de servis horreat documenta, imo queis vel vilissimi sanguinis parcimonia esse oportet. Summo ergo jure *Lud. Vives* hæc similiaque mente sua agitans, conqueritur: „Christianos homines tam multa gentilia, & ea non modo charitati & mansuetudini „Christianæ contraria, sed omni humanitati repugnantia, mordicus, „tanquam religiosissima, retinere *in comment. ad August. d. civ. Dei l. 19. cap. 6.*



XX. Aliud quoque, quo pro Tortura patrocinium quæri consuevit, ex Justiniani aut alterius principis R. auctoritate elicitur argumentum. Inquiunt nempe hujus carnificinæ patroni: quemadmodum & alia ab Imperatoribus in juris R. sacrario instituta apud nostrates legum vigent auctoritate, ita & hoc de quæstione placitum, tanquam à Justiniano aliisque Imperatoribus assertum ac confirmatum, legum numero eximere haud quaquam finit imperatoria illorum legislatorum majestas. Debile, me hercule, ac imbecille pro funestis tormentis argumentum! Nullum saltem populum liberum, penes quem in terris residet majestas, alterius gentis legibus parendi necessitate constringi indubitatum est: atque hinc extra territorium jus dicenti impune non pareri ipse *Jctus Paulus* docet *l. penn. ff. de jurisd.* Jam autem quoniam ex historiis abunde constet nunquam nostram Rempubl. à Romanis in formam provinciæ fuisse redactam, aut vero semper illam propria majestate fulsisse, legibusque iccirco suis, ac à Romanorum præceptis distinctis, vixisse palam fit, hinc profecto, quod hodie tantam nostris in terris affectæ sint auctoritatem leges Romanæ, neutiquam ex obediendi Imperatoribus, qua Romanis, necessitate nobis incumbente profluxisse credendum est, sed inde vera ac genuina hujus rei causa petenda, quod nostris imperantibus Romanorum leges, quotiens expressis constitutionibus propriisve moribus haud contrariantes, ex mero voluntatis beneplacito auctoritate donare ac sponte tanquam suas acceptare visum sit. Ex quibus plus satis manifestum evadit nos Imperatorum Romanorum legibus, (qua latis ab Imperatoribus Romanis) nihilo magis obstrictos esse, quam Turcarum aut alterius cujuscunque imperii principis, qui a nostro diversum possidet territorium. Adeoque saltem hic per asserenda Tortura Principum Romanorum, qua talium auctoritatem frustra allegari plus satis inclarescit.

XXI. Sin vero instans Torturæ patronus dicat: atqui, te ipso facente, leges Romanæ ab imperantibus nostris auctoritate donatæ sunt, eoque saltem nomine pro lege agnoscendum de quæstionibus præceptum: Respondeo. Haud levem equidem // Romanarum, (liquidem tanquam suas nostri in suam Rempubl. introducere dignati sint) profiteor ego auctoritatem, imo vero mihi, utpote jamjam in *Jctorum* inaugurando numerum, vel parum suæ dignitatis illis detrahere, religio foret: Verumenimvero neque illas nec ullas alias ab hominibus latis leges tanti facio, ut in illis, quas cerno iniquas, injustas voluntatique divinæ inimicas, cæca obedientia acquiescere me constringat  
ulla



ulla humana legislativa auctoritas: Quia potius contra *Hobbesum* aliaque id genus hominum monstra, intrepide assero cunctis illis præceptis, quæ à veræ justitiæ tramite aberrantia, rationi contraria summi-que Principis mandatis adversaria comperiuntur, obsequia detrectare non modo nos posse, sed & ex conscientiæ dictamine teneri. Deo quippe tanquam legislatori summo, cui ceteri omnes, quotquot terrarum ambitu reperiuntur leges, subordinantur, obedientiam præstare, quam principi seculari, nonne tutius longe ac æquius est? Illud autem si ad quæstionis praxin referamus, quid sodes dicendum, quam quod legi de tormentis latæ obedire non modo magistratus nostri haud obstricti sint, sed contra illam plane rejicere teneantur, tanquam præceptum à genuinæ justitiæ via longissime devians, sanæ rationi contrarium inque regum omnium regis mandata involans.

XXII. Quia porro, quid si daremus æquam justamque esse hanc de quæstione legem; nec tamen quidpiam impedimenti ponat ullius imperantis auctoritas, quo minus illa, rerum circumstantis id exigentibus, tolli possit ab istis, quæ legum condendarum ac abrogandarum competit potestas. Quam multa quondam in ipso imperio Romano præcepta, eaque non modo quorum iniquitas aut injustitia postea detecta fuit, sed vel optima ac æquissima, ab uno imperatore constituta, ab altero iterum abrogata? Quot nos hodie legibus, à Romanis abhorrentibus, utamur? Imo quam crebro ipsi nostri magistratus pro salute & Reipubl. bene esse ferre tenentur leges, quas, mutata rerum facie, aliaque iterum postulante revoluta rerum humanarum vicissitudine, abrogare rursus non dubitant? Illum tantum latere potest, quem supina tenet juris ignorantia. Quæ cuncta hætenus asserta legem de quæstionibus quoque ab imperantibus absque nefas pro libitu extirpari posse satis arguunt, adeoque argumentum hoc ab auctoritate legislatorum desumptum, futile apparet.

XXIII. Ad hæc quoque illud acriter pro quæstionibus objicitur, quod non absque gravissimis judiciorum incommodis illa praxis tolli queat. Quemadmodum enim ut reus, de cujus jam constat innocentia, absolvatur, ut & ille, quem criminis fontem esse liquet, ad debitam condemnetur pœnam, vera flagitat justitia, ita haud secus illum, quem indicia verisimilia suspectum tenent, nec tanquam innocentem absolvendum (militant namque hætenus contra ipsum argumenta) nec quoque tanquam nocentem (quoniam huc usque ille tantum suspectus, non vero criminis vere reus probatus est) pœnis afficiendum esse

ratio



ratio & æquitas suggerit. Medium itaque hic adhibeatur necesse est, per quod aut suspecti innocentia, aut ejusdem (venia sit voci) nocentia judici emergat, justeque exinde reus aut absolvatur, aut condemnatur. Huic autem rei quoniam luculenter admodum inservit Tortura, maxime in judiciis necessariam esse patet. Sic illi somniant.

XXIV. Sed ineptam & nullius momenti esse hanc objectionem quis mortalium non cernat? Periculofam enim, fallacem, erroneam esse Torturam, neque post adhibita tormenta magis de patrato aut non patrato crimine certos esse judices, quam antequam reus eculeo fuit impositus, quandoquidem ex antecedentibus certissimum est, quid bonæ rei in judiciis operetur Tortura, non ego percipiam. Fatentur utique ipsi adversarii neminem aut absolvendum, aut condemnandum, nisi aut de rei innocentia, aut de crimine commisso liquido constiterit. Sed quid, quæso, hic præsidii in suspecti hominis reatu, aut innocentia detegenda, adeoque illum vel condemnando vel absolvendo, adferat Tortura, quâ adhibitâ, non magis quam non adhibita, tranquilla conscientia quempiam condemnare vel absolvere poterit æquus judex, utpote qui tam crebræ quæstionis fallaciæ haud ignarus rem omnem, non modo haud probatam, sed & magis suspectam, quam ante, habiturus est. Ex quibus liquet frustra esse illos, qui Torturam esse medium, quo suspecti rite aut absolvantur, aut condemnentur, necessarium supponunt.

XXV. Quod vero porro iniquum esse ajunt illi, ut, quem indicia nonnulla suspectum arguunt, talis aut absolvatur, aut condemnatur, neque illa instantia mihi magis negotium facessit. Primo enim ut alterutrum istic loci, ubi nullus Torturæ invaluit usus, fiat, necesse esse, pernego. Non enim reum, *suspectum tantum*, condemnaturi, nec quoque absoluturi erunt prudentes judices, aut absolvendo illum (ut loquuntur DD.) ab instantia, plenam *suspecti* condemnationem, aut absolutionem tam diu different, donec clarius ac legitimo modo aut de innocentia, aut de ejus culpa sibi constiterit. Sed secundo: quid si modo concedam judicem quandoque suspectum, adeoque fortasse vere criminis reum, absolvere coactum esse! Ideone illi, ut ejusmodi incommodo obviam ear, ad Torturam provolandum est? Minime gentium! præterquam cum quod quæstionis usum, qui tantis obnoxius est fallaciis, huic præcavendo incommodo neutiquam conducere jam modo vidimus, non patitur insuper æquum judicem adhibere Torturam, utpote rem tam injustam ac iniquam, illud *Apostoli* monitum: *non esse facienda mala ut inde eveniant bona*. Fungetur itaque



que magis secure suo officio ille iudex, qui iudicia sua divinis conformat præceptis, quæ nusquam illum violentum hoc examen docent: at vero Deo, tanquam soli (ut loquitur *Psalmista*) animorum ac renum perscrutatori, scelerum auctores occultos puniendos committere, publicaque expiatione culpam à Deo deprecari iudicibus longe satius esse, quam ad Torturam rapere hominem, satis manifeste docemur. *Deur. cap. 21.*

XXVI. Quin imo si penitus adhuc speciosum hoc pro Tortura argumentum introspicere lubeat, sibi ipsi illud manus violentas inferre comperias. Inquiunt nempe illi: iniquum est suspectum quatenus suspectum, absolvi aut condemnari, adeoque ad hanc subterfugiendam iniquitatem ad quæstiones accedendum esse. egregie sane! quasi vero suspectus, qui tanquam talis, ad Tormenta rapitur, non condemnaretur. Omnem corporis cruciatum, etiamsi ante sententiam inferatur, pœnam esse, jam ante docentem vidimus *Ant. Matthæum*, quam immanes autem ac diros cruciatus subeat miser sub Tortura, non est, quod hic rursus operose demonstrarem. *Certum enim est vix ullum tormentorum genus nunc usurpari, quod cum ipsa morte mille modis non sit comparabile. J. Greu. in trib. reform. l. 1. cap. 4.* Suspecto itaque quoniam Torturam cruciatus, ac proinde pœnas, ipsa morte duriores inferre certum sit, in quæstionem dextrum ac lepidum (scilicet) inventum, ne quis, tantum suspectus, condemnetur.

XXVII. Tandem & ipsam experientiam in auxilium vocant ad Torturam stabiliendam ejus patroni. Dicitur procul dubio non una vice eventus homines facinerosos, expressa iis per tormenta veritate, meritas expertos esse pœnas. Quandoquidem ergo pœnis expiari scelera Reipubl. salus ac tranquillitas summopere desideret, pœnis autem scelera expiari haud quaquam possint, nisi detecta illa sint, hinc sequitur Torturam, quam totiens experientia scelerum detegendorum medium comprobavit efficax, in Reipubl. per necessariam esse. Sic illi. At missis illis, de quibus satis ante dictum est, quæque egregie satis hoc ab eventu desumptum argumentum explodant, hic ipsam experientiam experientiæ oppono. Inquiunt hujus sanguinæ officinæ fautores, salutem Reipublicæ exposcere, quod homines facinerosi puniantur. Fateor illud: sed & ego, quod Reipubl. non minus, imo multo magis, interfit, innocentes non excarnificari pœnis acerbissimis, neque morte plecti immerita, contra assero. Illi experientiam, quæ sæpius docuit facinerosos per extortam confessionem justis affectos fuisse pœnis, consulunt: ut & ego me ad experientiam, quæ non minus crebro, falsa innocentissimis expressa per Torturam confessione, miseros mortales in-

justis



justis pœnis ac immerita morte plexos esse, palam fecit, converto. Jam autem immane quantum in evitabile pene quæstionis incommodum, quo innocentes tam crebro tristi modo pereunt, superare commodum illud, quod in scelesto quandoque detegendo Reipubl. adfertur, quis non animadvertat? Ipsius Imperatoris Trajani testimonium hac in parte adopto, qui summa cum ratione Severo rescripsit; *satius esse impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare l. 5. princ. ff. de pen.* Et scite quondam Imperatores Scipio atque Antonius fati fuisse dicuntur: *se malle civem unum servare, quam mille hostes occidere*: Ita profecto malle decet Christianum judicem unum innocentem servare, quam mille nocentes (facinerosi quippe Reipubl. Christianæ jure merito hostes censendi) quorum crimina hæctenus nondum probata sunt, occidere. Luculenter quoque hanc veritatem confirmat *Genes. cap. 18. vers. 23. & seq.* Ubi Abrahamum excidium, quod Deus Sodomitis propter illorum injustitiam minitabatur, non aliam ob causam deprecantem cernimus, quam quia pauci adhuc in illo populo supererant probi, quibus tum una cum improbis pereundum fuisset. Atque huc quoque auriganda est, quam ipse Christus auditoribus suis proposuit, parabola: *ne colligendo zizania eradicetis simul cum in triticum. Sinite utraque simul crescere usque ad messem Matth. cap. 13. vers. 29.* Manifeste itaque hic Salvator, per *Zizania* nihil aliud quam homines improbos designans, per *Triticum* autem bonos ac justos, improbat illum agendi modum, quo innoxios pariter cum noxiis pati constringimus. Quandoquidem itaque ex hisce omnibus tanto gravius & iniquius esse apparet, innocentes ad immeritam trahi mortem, quam nocentes impunitos demittere, incassum proculdubio laborant omnes, qui ex eo, quod nocentibus per Torturæ usum quandoque distributæ sunt justæ pænæ, pro illa argumentum capiunt; cum & ab altera parte non minus confet infontes totiens immeritis mactatos esse pœnis.

XXVIII. Ex quibus itaque assertis omnibus satis liquido constare autumo illud quod in hujus disputationis præmio præmonui scil. legem solam de Tortura latam, satis indicii suppeditare, non omnia, quæ à Romanis hausimus, præcepta, pari æquitate ac justitia conspicua esse. Adeoque summo jure cum *Cl. van Eck* concludo, quod Torturam non esse legitimum & jure divino & naturali consentaneum exprimente probandaque veritatis modum tam certum sit, quam evidenter constet hanc periculosam & fallacem probandi rationem in jure nostro quandoque admitteri. in princ. jur. ad tit. d. quæst.



# A N N E X A.

I.

*Merum Imperium in ipso Principe, tanquam in fonte, non vero in magistratibus collocandum est.*

II.

*Communem errorem facere jus, error est.*

III.

*Lex secunda Cod. de resc. vendit. perperam extenditur ad Transactionem.*

IV.

*Jurisdictionem generalem mandatam prorogari posse nullus dubito.*

V.

*In stricti juris judiciis usuras deberi per litis contestationem, nego.*

VI.

*Mare esse commune, ac proinde nullius in dominio, recte asserit jus R.*

VII.

*Jus accrescendi quoque in hereditatis emptorem transire credo.*

VIII.

*Patriam potestatem (quamvis non plenam) in adoptantem extraneum transire affirmo.*

IX.

*Filio, quantumvis non confecto inventario, salvam manere legitimam, propius vero est.*

F I N I S.



ΑΝΑΓΡΑΜΜΑΤΙΣΜΟΣ ΔΩΔΕΚΑΠΛΑΣΙΟΣ,

Seu

*Corona Doctoralis,*

ex

Duodecim Anagrammatibus Conflata;

Imposita Temporibus

*DOCTISSIMI ET ACUTISSIMI VIRI-JUVENIS,*

**D. JACOBI DE VRIES;**

cum

Gradum Doctoratus in Utroque Jure

&

Liberalium Artium Magisterium

Auspicaretur.

Προσίμιον.

E C H O.

Quid quærit V R I S I U S ? (*jus*) quis nunc mea verba refundit ?  
Quis blaterat nunc cum ista lego ? (*ego*) an tu Pallas oberras ? (*erras*)  
Tunc ergo es Echo ? quid ais ? (*ais*) Tu Nympha roganti  
Responde nunc, hoc cupio : (*cupio*) volo quærere nomen (*omen*)  
Quid ? numne omen inest ? (*est*) ergo nunc Nympha videbo  
Omina an inveniam dum nomina verto J A C O B I (*i.*)

J A C O B U S D E V R I E S.

C A S U S V I D E B O R E I.

D E S J U S, V I C A R E B O.

A B E O J U R I S D E C U S.

Quest. Quales *Urbs* cantat nunc *Antonina* triumphos ?  
Quid nunc *Trajecti* mœnia læta canunt ?

F 3

Cur



Cur nunc, dum *Mavors* sævis bacchatur in armis  
*Rhenum* devastans, *Rhenus* & ipse canit?

Resp. Desine mirari, *Themidos* sacratum alumnus;  
Hunc sibi nunc sacrum jactat & ipsa *Themis* :  
Et *Themidos* simul & *Sophiæ* sacratum alumnus;  
Gaudet & hinc *Sophia*, & gaudet & alma *Themis*.  
Gaudent hinc *Themidos*que chorus, natiq[ue] *Sophiæ*,  
Ac in quâ florent urbs genialis ovat.  
Si rogites quis sit quem nunc *Themis* æqua coronat,  
Et *Sophia* exornat? non mea *Musa* filet,  
Quis sit nunc qualisque tibi paucisque profabor.  
Qui dicit: CASUS ipse VIDEBO REI.  
Auscultant hæc dicentem nunc ecce clientes :  
Quisque vocat DES JUS, VIque CAREBO simul.  
Verè nunc AB EO JURIS DECUS! Ipse reportat  
Præmia quæ præbent & *Themis* & *Sophia*.

Προσωποποιία.

JACOBUS DE VRIES.  
RES VIDEBO AC JUS.  
VERE JUS DABO SIC.  
ACUO, SED VIREBO.

Loquitur J. V. Doctor.

RESque VIDEBO AC JUS ut justus Juris alumnus;  
VERE JUS DABO SIC justitiamque colam.

Loquitur L. A. Magister.

Ingeniumque ACUO, sic SED post fata VIREBO:  
Post obitumque mihi sic mea fama manet.

Ἐπιφώνημα.

JACOBUS DE VRIES.  
SEU JURA DOCEBIS.  
RE, JUS VOCE DABIS.  
DOCE, RES JUVABIS.

Loqui-



*Loquitur Poëta J. U. Doctori.*

Doctè jus dices Doctor, SEU JURA DOCEBIS :  
RE, JUS VOCE DABIS jura vel institues.

*Loquitur Poëta L. A. Magistro.*

Macte DOCE Sophiam, Sophiæ RES sicque JUVABIS  
Doctori vestri dogmata docta proba.

*Σύγγραμμα.*

JACOBUS VRIESTUS.  
JURE SUIS AC VOBIS.  
JUS VOBIS AC VIRES.  
VOBIS VIS REI CASU.

*Loquitur Poëta Juris Amatoribus.*

JURE SUIS simul AC VOBIS præluceat ; & hic JUS  
VOBIS, AC VIRES Justitiæque dabit.

*Loquitur Poëta Philosophiæ Fautoribus.*

VOBIS VISque REI innotestet ; solvere CASU  
Quocunque hic potis est abdita nunc Sophiæ.

Cecinit

FRANCISCUS VAN BERGEN  
dictus MONTANUS, Jctus.

Tet



Ter eere van Den E. HEER  
Mijn Heer JACOB DE VRIES,

*Philos. Candid.*

toen zijn Ed. na gehouden redenkaveling van de  
P I J N - B A N K ,  
met een algemeyne toestemming, tot *Doctor in Beyde  
de Regten gepromoveerd* wierd binnen Utrecht  
den 5. September anno 1692.

ARDUA PER PRÆCEPS GLORIA TENDIT ITER.



Schoon ik de Pijn-bank in mijn hert, en ziel ver-  
foeye,

Als zijnde een zaak, die maar tot plaag der  
menschen strekt,

Schoon ik my weynig met de Dicht-konst thans  
bemoeye,

Zo ist, of nu mijn geest tot rijm wierd opgewekt,  
Mits VRIES, een Leerling, en een Zoon van twee DE VRIESEN

In wien een groote maat van deugd, en wijsheyd steekt,  
(Hoe braaf is 't, als een mensch het best weet uyt te kiezen!)

Den dwang des Pijn-banks zo manhaftig tegen-spreekt,  
Want zulx betaamd aan een regtschapen held, en Christen

Maar meest aan hem, die met een luyster, en veel glans  
Wist \* van den Gods-dienst op het Choor te redentwisten.

Wie 't lieflijk mengd met nut, verdiend een dubbele krans.  
Dus word u, die den tijd uws levens hebt versleten

In konsten leeren, en in wakkre naarstigheyd,  
Na

\* Disput.  
Philosoph.  
Inaug. de  
Religione  
habita Ut-  
traject. 3.  
Juni.  
M.D.C.XC.



Na dat gy driemaal hebt ter scherper proef gezeten,  
 De prijs, op 't eynde van de Loop-baan toegeleyd.  
 Men zag met eene Kroon onlangs uw kruyn vercierren,  
 Die was u niet genoeg, de tweede moest'er by.  
 Wie wijs, en dapper is, krijg'd dubbele Laurieren,  
 Was nu van MAROOS geest een kleyn gedeelte in my,  
 Hoe zoude ik myne stem doen daven door de wolken,  
 Om uwen roem, die nu op 't hoogst verbeerlijkt staat,  
 Kenbaar te maken aan de ver gelegen volken!  
 O schrandre Filosooph, geleerden Advocaat.  
 O gy, die met gejuich, en algemeyn genoegen,  
 Met bey die titulen althans verbeerlijkt wert,  
 Vergun my, mijne vreugd by 't algemeyn te voegen,  
 En u te wenschen 't gene'er volgd, met mond, en hert.  
 Verstrek tot hulp aan die benaud zijn, en verlegen,  
 Dat nimmer tegenspoed in 't pleyten u gebeur',  
 GOD make u tot een doel van al zijn heyl, en zegen,  
 En hale u by hem, na de dood, door de enge deur.

D. HAVART.

Med. Doctor



G

EER.



E E R - K R A N S ,

Gevlogten voor den geleerden Heer, den HEER

JAKOB DE VRIES,

PHILOSOP. CAND.

*Wanneer zijn Ed., na alvorens over de PIJN-BANK  
naauwkeuriglijk gereedentwist te hebben, met eene  
algemeene toejuichinge, tot Meester in beide  
de Rechten verklaard wierd.*



A zo veel arbeid ziet me uw' naerftigheid geloond,  
Uw deugd met heerlijkheid op 't deftigfte gekroond!  
Nu word uw hoofd verfierd met onverwelkbre  
blaaden;

Zie hier de vrugten en die fchoone pronk-fieraaden  
Van uwe naerftigheid! Zie hier den prijs der deugd,  
Waar op gij eeuwig met veel luifter roemen meugt:  
Dewijl U 't Meesterschap van Themis heiligheeden  
Word aangeboden; naar verdienfte, recht en reeden.  
Niet uit eene enkle gunft; maar door uw deugd en vlijt:  
O fchrander brein die verre uw' jaaren overfchrijd  
In weetenschap! En die de gaauwfte Leerelingen  
Te booven ftreefd; Ach kon mijn zangheldin nu zingen  
Met zulken hoogen toon, als dat betaamd, uw lóf!  
'K vind hier een wijde Zee en overvloed van ftóf;  
Dóg 'k zal flegts, in het kort, uw groote lóf verbreiden,  
Om niet te verre van mijn oogmerk af te weiden.

't Zij ik aanschouw, met ernst, Minervaas hooge Koor,  
Die Oeffen-School, daar gij zo dikmaals had gehoor  
Van onze ftichtffe jeugd. Daar gij in 't pit der dingen  
Der wijsbegeerte wift zo fchrander door te dringen:

Daar



Daar uw vernuft ontvouwd' natuurs-geheimenis,  
Ja, daar ge ons toondde wat de regte wijsheid is,  
En daar ge meenigmaal zo deftig reeden-twistte,  
Dat nooit uw scherp verstand zig ergens in vergiftte.  
Gij vólgdde nooit de drift en dwaaling van die geen,  
Die meerder steunden op de drift, als op de reën:  
Nooit kon een' dwaaze drift U in het minst' verwinnen,  
De reeden was 't alleen, waar van gij uwe zinnen  
Liet leiden; en alzo klomt gij van trap tót trap,  
Tót dat gij eindelijk wierd verëerd met 't Meesterfchap  
Der wijsbegeerte, en nu zien wij U meede kroonen,  
Tót Priester van het recht, als een van Themis zoonen,  
O schrandere DE VRIES! Terwijl ge ons toond zo klaar,  
In uwe Reeden-twist, des PIJN-BANKS doods-gevaar!  
O schrikkelijke pijn! ó plaag die meenigwerven,  
De menssen duizendmaal, in plaats van eens, doet sterven!  
O reedenlooze vond, van Christ'nen nooit bedagt;  
Maar van het Heidendom zo dwaaslijk voortgebracht!  
O Winkel vol van bloed, hoe pijnigd gij 't gewisse  
Der menssen! En hoe dwingt g' haar om bekentenisse  
Van eene zaak, waar aan zij vaak onschuldig zijn!  
Zo dat de mens zig zelfv' vermoord door deeze pijn,  
En is zijn eigen Beul zelf tegen zijn geweeten.

O Rechters die op de aarde als Góden zijt gezeeten  
In Goodes Vierschaar! Weest voorzigtig: want gij ziet  
Wat kwaad, wat onheil en wat rampen zijn geschied  
Door deeze PIJN-BANK, die helaas zo meenigvuldig  
De schelmen vrij verklaard, de onnozele houd schuldig!  
Ja, die de onnoosle mens, gepijnigd teegens recht,  
Doet zeggen 't geen hij nooit gedaan heeft of gezegd:  
Ja, doet hem zweeren dat hij nooit had in gedagten,  
Terwijl die wreede pijn 't gewisse komt verkragten,  
En pijnigd ziel en lijf door plaagen nooit gehoord.

Wie zal niet zeggen dat hij heeft zijn Vaár vermoord?  
En dat hij bloedschand' deed' zelf met zijne eige Moeder?  
Dat hij zijn eigen kind vermoordde met zijn' Broeder?

Dat



Dat hij zijn zusters eer bevlekt had? En, o schand!  
 Dat hij verraadde had zijn lieve Vaaderland?  
 Dit alles kan me een mens door deeze pijn en banden  
 Afperffen uit zijn lijf. 't Was goed dat alle landen  
 Die snoode Ziels-Harpij verbandden als een pest,  
 Die met onnoozel bloed zig zelven voet en mest:  
 En die helaas in deeze en in voorleeden' tijden,  
 Zo veele mensfen heeft onschuldig straf doen lijden!  
 Want als men heeft gerekt de leeden zo verwoed,  
 Dat 't koude en klamme zweet, en etter, merg en bloed,  
 Uit 't lichaam werd geperft! En als men vind na deezen,  
 Dat hij, die wreedelijk ter PIJN-BANK wierd verweezen,  
 Onschuldig is: wat dan? Heeft deeze onnoosle man  
 Dan niet meêr straf geleên, als hij ooit lijden kan?  
 Indien 't mij lustte hier in 't breede eens aan te wijzen  
 Hoe veele onschuldige ('t geheugen doet mij ijzen!)  
 Gepijnigd zijn; zo zou ik buiten deeze perk  
 En paal van dit Gedicht, nog doen een vrugtloos werk:  
 Want Heer DE VRIES zal u naauwkeurig doen beschouwen,  
 Wat deeze PIJN-BANK is: zie hem de zaak ontvouwen  
 Zie in zijn Reeden-twist des PYN-BANKS dolligheid  
 Zo klaar, zo oopentlijk en bondig wederleid,  
 In spijt des afgronds, en in spijt van die 't benijden!  
 Ga voort Afréas Telg, zo moedig in het strijden  
 Voor Themis Heiligdom! O wakkre Themis Zoon  
 Met recht verdiend gij, voor uw' goeden iever, loon!  
 Met recht behoord ge een reeks van meêr dan Nestors jaaren,  
 Te leeven, tót gij word versierd met zilvre haaren.  
 Leef lang! Beschermd het recht door uwe zórg en vlijt,  
 Maak dat ge een Voorpraak van verdrukke mensfen zijt!  
 Een troost van weêuw en wees, van hulp en troost verlaaten,  
 Handhaafd Rechtvaardigheid, in spijt van die haar haaten,  
 Denk, als gij Rechter waart, dat GóD zit in 't gericht,  
 Zo leefd ge onsterflijk voor zijn GóDlijk aangezicht.

SAMUEL VANDER HEIDEN.